FLORILEGIUM PATRISTICUM

DIGESSIT VERTIT ADNOTAVIT

GERARDUS RAUSCHEN
DR. THEOL. ET PHIL., SS. THEOLOGIAE IN UNIVERSITATE BONNENSI
PROF. P. E.

FASCICULUS VI

TERTULLIANI APOLOGETICI RECENSIO NOVA



BONNAE
SUMPTIBUS PETRI HANSTEIN
MCMVI

In meinem Verlage sind von demselben Verfasser erschienen:

Florilegium patristicum

digessit vertit adnotavit **Gerardus Rauschen.** Fasc. I: *Monumenta aevi apostolici* (p. 89, 8°) 1904, ℳ 1,20, cart. 1,40. — Fasc. II: *S. Iustini apologiae duae* (p. 101, 8°) 1904, ℳ 1,50, cart. 1,70. — Fasc. III: *Monumenta minora saeculi secundi* (p. 106, 8°) 1905, ℳ 1,50, cart. 1,70. — Fasc. IV: *Tertulliani liber De praescriptione haereticorum* (p. 69, 8°) 1906, ℳ 1, cart. 1,20. — Fasc. V: *Vincentii Lerinensis Commonitoria* (p. 71, 8°) 1906, ℳ 1,20, cart. 1,40.

Das Unternehmen verdankt seine Entstehung *einer besonderen Anregung seiner Eminenz des Herrn Kardinals Fischer*, der sich selbst früher mit dem Gedanken einer solchen patristischen Chrestomathie getragen hatte; Hochderselbe hat auch wiederholt dem Verfasser seine besondere Befriedigung über den Fortgang der Arbeit und über den Inhalt und die Ausführung der einzelnen Hefte kundgegeben.

Das 1. Heft enthält eine Auswahl aus den Apostolischen Vätern im griechischen Urtext mit lateinischer Übersetzung und mit erklärenden Anmerkungen, nämlich die Lehre der zwölf Apostel, den Römerbrief des hl. Ignatius, das Martyrium des hl. Polykarpus, die besten Kapitel aus dem Briefe an Diognet und solche aus den anderen Schriften, die für die Dogmengeschichte besonders wertvoll sind. *Das 2. Heft* bietet die beiden Apologien Justins vollständig im griechischen Text und die wichtigere Hälfte derselben ausserdem in lateinischer Übersetzung mit Anmerkungen. *Im 3. Heft* stehen vollständig: das Muratorische Fragment, die sog. Logia Jesu, das letzthin aufgefundene grössere Fragment aus dem Petrusevangelium, die Aberkios-Inschrift und einzelne Märtyrerakten, besonders die jetzt griechisch entdeckten des hl. Apollonius; hinzugefügt sind ausgewählte Kapitel aus dem sog. Protevangelium des Jakobus. *Das 4. Heft* bringt Tertullians dogmatisch wichtigste Schrift De praescriptione haer. in neuer Textesrezension und im Anhange des hl. Irenäus Adversus haereses III 3 u. 4. — *Das 5. Heft* enthält die Commonitoria des Vinzenz von Lerin in neuer Textesgestalt; die vier vorhandenen Handschriften wurden dazu neu verglichen.

Von Sr. Heiligkeit Papst Pius X. erhielt der Verf. nach Überreichung der fünf ersten Hefte des Florilegiums ein huldvolles Schreiben, das übersetzt also lautet:

„Geliebter Sohn, Gruss und apostolischen Segen! Schon vor einiger Zeit waren Uns dein Fleiss und deine Gelehrsamkeit von kundiger Seite warm empfohlen worden. Aber mehr empfehlen dich deine Verdienste, wie Wir jetzt zu Unserer Freude aus deinen durch Wissen und gesundes Urteil hervorragenden Schriften erkennen. Da es Uns nun sehr am Herzen liegt, Unsere geliebten Söhne in Christo, zumal wenn sie in den hh. Weihen stehen, zu Arbeiten für die Kirche und die Wissenschaft anzuregen, so sagen Wir dir nicht nur für das übermittelte Geschenk Dank, sondern wünschen dir auch von ganzem Herzen Glück, in der sicheren Hoffnung, dass deine gelehrten Schriften dir und dem Klerus und der Religion immer grösseren Ruhm bringen werden. Als Zeichen Unseres Wohlwollens

B 50.

10
R-1

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

19 SECTION B SHELF 5

FLORILEGIUM PATRISTICUM

DIGESSIT VERTIT ADNOTAVIT

GERARDUS RAUSCHEN
DR. THEOL. ET PHIL., SS. THEOLOGIAE IN UNIVERSITATE BONNENSI
PROF. P. E.

FASCICULUS VI

TERTULLIANI APOLOGETICI RECENSIO NOVA

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

BIBLIOTHECA CONVENTUS
WEST PARK, O.
F. F. MINORUM.

208
R248f
v.6

BONNAE
SUMPTIBUS PETRI HANSTEIN
MCMVI

STUDENTS' LIBRARY
ST. JOSEPH SEMINARY

Imprimi permittitur.

Coloniae die 10. m. Aprilis 1906.

Vic. Archiepiscopi Generalis
Dr. Kreutzwald.

Alle Rechte vorbehalten.

Typis Caroli Georgi typographi academici.

1780

PRAECEPTORI CARISSIMO

FRANCISCO BUECHELER

SEPTUAGENSIMUM AETATIS ANNUM FELICITER
INEUNTI HUNC LIBELLUM PIENTISSIMUS

D. D.

GERARDUS RAUSCHEN.

Textum Apologetici, quem in hoc Florilegii fasciculo propono, ab omnibus quae hucusque prodierunt editionibus multum differt. Codicem optimum Parisinum nr. 1623 saec. X denuo ipse Parisiis autumno anni 1905 excussi; ceteros vero tres Parisinos ibidem inspiciendo minimi pretii esse facile cognovi. Deinde codicem Montispessulani saec. XI, quem Oehler, etsi haud malae esse notae eum putabat, editionem adparans neglexerat, Bonnae, quo meum in usum missus erat, diligenter contuli. Summam vero operam posui in fragmentis codicis Fuldensis deperditi recensendis. Cuius codicis postquam variantes lectiones, prout in adpendice editionis Francisci Iunii anno 1597 vulgatae exstant, adcurate exscripsi et examinavi, librarium exemplari omnibus, quae ad nos pervenerunt, potiore usum esse, sed textum suo arbitrio multis locis emendasse prorsus mihi persuasi. Satis igitur ardua mihi res fuit diiudicare, quae eius codicis lectiones recipiendae et quae reprobandae essent. Omnes vero codicis Fuldensis lectiones, quas in textum non admisi, adnotavi, iis solis exceptis, quas vilissimas esse nemo negat.

Scripsi idibus aprilibus MCMVI.

PROLEGOMENA.

§ 1. DE LIBRI APOLOGETICI PRAESTANTIA AETATE RATIONE.

1. Inter omnes, quas veteres christiani adversus ethnicos scripsere apologias, maxime eminet Tertulliani Apologeticum, quod opus quanti ab aequalibus habitum sit, iam inde patet, quod brevi, postquam in lucem prodiit, teste Eusebio h. e. II 24 in graecum sermonem translatum est; is enim honor, quod sciamus, praeter hunc librum tribus tantum Actis christianis priorum saeculorum contigit: Actis s. Apollonii, ss. Scilitanorum, s. Perpetuae et Felicitatis[1]. Porro Apologeticum ad *Romani imperii antistites* (c. 1), i. e. ad totius orbis Romani praesides[2] directum a ceteris veterum scriptorum apologiis eo differt, quod christianos de iis potissimum incusationibus defendit, quae ad rem publicam spectant: de neglectu deorum Romanorum et de crimine laesae maiestatis; itaque fit, ut doctrina christiana in eo libro obiter tantum et magis defensionis quam institutionis causa tractetur, id quod recte observavit Lactantius[3]. Scriptum autem est Apologeticum, ut nunc inter omnes fere constat, post libros duos Ad nationes anno 197 exeunte[4]; id efficitur cum ex c. 4, ubi Septimius Severus constantissimus principum adpellatur, quod, postquam anno cir-

[1] Harnack, Die griechische Übersetzung des Apologeticus Tertullians, Lipsiae 1892 (Texte und Untersuchungen VIII 4, p. 1—36).

[2] non ad senatum Romanum, ut perperam Tertulliani verba interpretatus est Eusebius h. e. V 5, 5.

[3] Inst. div. V 4.

[4] Harnack in: Zeitschrift für Kirchengeschichte II (1878) 574 ss.; idem, Die Chronologie der altchristl. Lit. II (1904) 257 s.: von Hartel, Patristische Studien II 15 ss. (Sitzungsberichte der Wiener Akademie, phil.-hist. Kl., vol. 121, Vindobonae 1890).

citer 202 christianos persequi coepit, a Tertulliano scribi non potuit, tum ex c. 35, ubi eiusdem imperatoris victoria Lugdunensis (19. febr. 197) ut modo parta et vexatio adsectatorum Albini victi ut *post vindemiam parricidarum racematio superstes* commemorantur.

2. Multa Apologetico communia sunt cum duobus libris Tertulliani Ad nationes, qui eodem anno paulo ante composita sunt[1]; aliquantum tamen interest inter utrumque opus. Nam a. libri Ad nationes ad populum, Apologeticum vero ad magistratus scriptum est; b. in priore opere magis adgreditur adversarios, quam christianos defendit; c. in illo argumentatio ex philosophia arteque rhetorica potissimum, in hoc ex iuris disciplina petita est; d. in Apologetico dictio moderatior et elegantior, oratio concinnior, compositio aptior et plenior est.

3. Iam pridem similitudo sententiarum et locutionum observata est, quam habet Apologeticum Tertulliani cum Octavio Minucii Felicis. Hanc similitudinem nonnulli viri docti construendo communem fontem utriusque operis explanare conati sunt; quae sententia, quam inprimis defendit Wilhelm[2], cum solido fundamento non nitatur[3], nihil aliud restat, nisi ut alter scriptor altero usus sit. Sed utrum Minucius Tertulliano an Tertullianus Minucio usus sit, hodie quoque magna quaestio est; priorem sententiam amplectuntur Massebieau[4], K. J. Neumann[5], Harnack[6], eamque et ipse sequor; alteram defendunt Bardenhewer[7], G. Krueger[8], M. Schanz[9].

[1] Ebert (Allg. Gesch. der Literatur d. Mitt. I[2] 41 adn. 4 et 42 adn. 1) Apologeticum prius confectum, sed post librum primum Ad nationes vulgatum esse censet.

[2] De Min. Felicis Octavio et Tert. Apologetico, pars 1, Vratislaviae 1887.

[3] Harnack, Chron. II, Lipsiae 1904, 325 adn. 4.

[4] Revue d'hist. des religions XV (1887) 316—346.

[5] Der röm. Staat und die allg. Kirche I, Lips. 1890, 241—245.

[6] Chronol. II 326—330.

[7] Gesch. der altkirchl. Lit. 1 310—315.

[8] Gött. gel. Anz. 1905, 36—41.

[9] Rhein. Museum, N. Folge, 1895, 114—136

§ 2. ARGUMENTUM.

Apologeticum optime a Tertulliano dispositum est; sed in enucleanda forma eius scriptores non satis mihi indicia ab ipso auctore facta sectati esse videntur[1].

In exordio (c. 1—3)[2] petit Tertullianus, ut, cum causa christianorum a iudicibus publice non examinetur, *liceat veritati vel occulta via tacitarum litterarum ad aures pervenire* eorum; deinde christianos ignoranter et inmerito a gentilibus vexari rationemque cum christianis in iudiciis agendi legitimam non esse docet.

Sequitur prima pars (c. 4—38): Mala, quae christianis obiciuntur, refutantur, ita tamen, ut in ipsos gentiles retorqueantur[3]. a. Praelusio: De legum humanarum auctoritate et abrogatione (c. 4—6)[4]. b. De occultis criminibus seu de infanticidiis et incestibus christianorum (c. 7—9)[5]. c. De manifesto eorum crimine laesae maiestatis vel sacrilegii (c. 10—38): α. De primo titulo laesae maiestatis seu de contemptu deorum Romanorum (c. 10—27); β. De secundo tilulo laesae maiestatis

---

[1] ex. gr. Kellner, Tertullians Apologetikum (versio germanica), Campidonae 1870, 19 ss.; Ebert, Allgem. Geschichte I², Lips. 1889, 41 s.; Bardenhewer, Gesch. der altkirchl. Lit. II, Friburgi 1903, 353 s. Hi tres auctores Apologeticum in tres partes distinguunt: primam c. 1—6, alteram c. 7—45 (c. 7—9 De criminibus occultis, c. 10—45 De manifestis criminibus), tertiam c. 46—50.

[2] Cfr. c. 4 init.: Atque adeo quasi praefatus ad suggillandam odii erga nos publici iniquitatem iam de causa innocentiae consistam.

[3] C. 4 pergit Tert.: nec tantum refutabo, quae nobis obiciuntur, sed etiam in ipsos retorquebo, qui obiciunt. C. 39: Edam iam nunc ego ipse negotia christianae factionis, ut, qui mala refutaverim, bona ostendam.

[4] C. 4: Sed quoniam ... de legibus prius consistam vobiscum.

[5] C. 4: Respondebimus ad singula, quae in occulto admittere dicimur, quae illos palam admittentes invenimus. C. 9 ex.: Nunc de manifestis dicam.

seu de contemptu maiestatis augustioris i. e. imperatoriae (c. 28—38)[1].

In secunda parte (c. 39—45) bona christianorum explanantur[2]: a. De amore fraterno eorum et coetibus (c. 39); b. incommodorum publicorum culpam magis gentiles quam christiani merent (c. 40—41); c. christiani sunt infructuosi sceleribus, non negotiis (c. 42—43); d. christiani soli sunt innocentes (c. 44—45).

In tertia parte (c. 46—50) christianam religionem esse divinum negotium, non philosophiae genus ostenditur[3]: a. Multum interest inter christianum et philosophum (c. 46); b. sacra scriptura antiquior et verior est libris philosophorum (c. 47); c. doctrina de resurrectione carnis defenditur (c. 48—49); d. constantia, quam christiani in martyriis servant, a philosophis quoque commendatur (c. 50).

§ 3. DE LIBRIS MANUSCRIPTIS, INPRIMIS DE CODICE FULDENSI.

1. Apologeticum desideratur in vetustissimo codice Agobardino, at tot libris manuscriptis ad nos pervenit, quot nullus alius liber Tertulliani[4]. Quattuor codices adservantur in bibliotheca Nationali Parisiensi; ex hisce optimae notae, etsi Agobardino deterior, est *Parisinus lat. 1623*, quo solum Apologeticum continetur. Hic codex, quem ipse diligenter contuli, est membranaceus saec. X, pulchre exaratus et ita inscriptus:

---

[1] C. 28: Ventum est igitur ad secundum titulum laesae augustioris maiestatis, si quidem maiore formidine et callidiore timiditate Caesarem observatis. C. 35: Velim tamen in hac quoque religione secundae maiestatis, de qua in secundum sacrilegium convenimur christiani non celebrando vobiscum solemnia Caesarum etc.

[2] C. 39: Edam iam nunc ego ipse .... ut, qui mala refutaverim, bona ostendam.

[3] Cfr. c. 46, 2: ... non utique divinum negotium existimat, sed magis philosophiae genus.

[4] Vide recensionem codicum in editione Oehleri maiore vol. I. praef.

Apologeticum Tertulliani de ignorantia in Christo Iesu[1]; in prima pagina legitur: *olim fuit Claudii Puteani.* Ceteri tres Parisini (lat. 1656 A saec. XII, 1689 saec. XIII, 2616 exaratus anno 1492), quos Parisiis inspexi, nullius fere pretii sunt, non excepto Parisino 2616, quem vix Parisino 1623 cedere nescio quo pacto censuerit Oehler (praef. X); ex hisce enim tribus codicibus, cum erroribus et neglegentiis scateant, textus Parisini primi perraro corrigi potest.

2. Si aetate iudicatur, proxime ad Parisinum 1623 codex accedit Montispessulanus H 54, saec. XI. Hic codex est membranaceus grandi forma et continet in 1213 columnis post sex alia scripta Tertulliani ultimo loco (col. 1119—1213) Apologeticum, sed altera manu eiusdem fere temporis exaratum et mutilum (perierunt quae erant post verba: *inculcationibus densamus* c. 39). Cuius voluminis in fronte legitur: *Tertulliani opera ex libris collegii Oratorii Trecensis*, in ultima vero pagina: *P. Pithoei*; fuit igitur hic codex olim Petri Pithoei († 1596), a quo in bibliothecam municipalem Montispessulani pervenit, eoque codice usus est in editione Tertulliani operum adornanda Nicolaus Rigaltius. Oehler eum non contulit, at dignum arbitratur, quem post Rigaltium aliquis totum excutiat, cum haud malae sit notae; etiam Kroymann usque ad hoc tempus nondum publicatam esse adcuratam eius conlationem dolet[2]. Equidem Apologeticum, quantum in eo codice exstat, ad verbum excussi magno labore, sed lucro minimo; nam textus, quem librarius prae manibus habebat, minoris notae erat (maxime accedit ad codicem Leidensem saec. XV), et innumeris locis ipse, quae transscripsit, non intellexit. Menda eius codicis creberrima haec fere sunt: *quod* (pro: quid), *qui* (quam), *aliquid* (aliqui), *ara* (aram), *gente* (gentem), *hordine* (ordine), *degerebat* (deie-

---

[1] Idem titulus operis in aliquot aliis codicibus legitur; in aliis vero melius caput solummodo primum inscribitur: De ignorantia, seu De ignorantia Christi Iesu, seu De ignorantia in Christo Iesu.

[2] Quaestiones Tertullianeae criticae, pars I,, Gotting. 1893, 11.

rabat), *habens* (abest), *adore eis* (adoretis), *orandos* (honorandos). Semper etiam in hoc codice legitur, ut in codice optimo Parisino: *saltim* (saltem).

3. Praeter hos integros vel paene integros codices ad nos pervenit conlectio variantium lectionum, quas e codice aliquo Fuldensi nunc deperdito[1] excepit Franciscus Modius (François de Maulde), qui fuit grammaticus et canonicus Brugensis in Flandria († 1597). Is enim, ut in adnotatione ab ipso in codice Gall. 399 bibliothecae Monacensis scripta legitur, anno 1585 e mense septembri ad decembrem usque Fuldae versatus est ad excutiendos codices celeberrimi illius monasterii Fuldensis. In hac bibliotheca erat codex, Tertulliani Apologeticum et librum Adversus Iudaeos complectens, ut etiam in Catalogo veteris bibliothecae Fuldensis a Kindlingero edito (p. 81, 6) legitur. Quem codicem Modius cum editione operum Tertulliani, quam Renatus Laurentius de la Barre anno 1580 Parisiis publicavit, diligentissime comparavit; deinde hic indiculus discrepantium lectionum in manus Casparis Scioppii viri eruditissimi venit, qui eum cum Francisco Iunio novam operum Tertulliani editionem adparante communicavit. Iunius vero, postquam has lectiones optimi generis esse et stilum Tertulliani quam maxime redolere cognovit, eas, cum editio eius nimium iam processisset, — prodiit anno 1597 Franekerae, 2 voll. — in adpendice voluminis alterius typis mandavit; praeterea schedulae ipsae Scioppianae adhuc in possessione viri doctissimi Wissowa exstant. Usi sunt postea conlatione codicis Fuldensis a Modio facta maxime Rigaltius et Havercampius, parum Fr. Oehler; hic eas tamen integras in adparatum criticum adscivit, sed, ut mihi persuasi, minus adcurate.

4. De valore lectionum codicis Fuldensis non inter omnes scriptores constat. Textum, prout ex hoc codice nobis servatus est, peculiarem esse et ab eo differre, qui in

---

[1] de Hartel errat scribens (l. l. p. 21) Reifferscheidium diligentem eius codicis conlationem fecisse.

ceteris codicibus adparet, omnes consentiunt; eam ob causam Oehler (praef. p. XIX) Rigaltium et Havercampium increpat, quod lectionibus Fuldensibus et vulgaribus commixtis pannos consarcinare quam integrum opus reficere maluerint. Kroymann[1] recensionem codicis Fuldensis, etsi iam Rufini aetate vulgata sit, inferiorem esse iudicat recensione ceterorum codicum; eadem est sententia Hartelii[2], qui textum Fuldensem ex libris Ad nationes retractatum esse censet. At ceteri fere omnes, Oehlero non excepto, recensionem Fuldensem maximi faciunt, eamque aestimationem hisce ultimis annis Callewaert[3] fuse singulatimque stabilire contendit. Denique Harnack versionem graecam Apologetici, qua usus est Eusebius — et versionem latinam Historiae Eusebianae a Rufino confectam in iis partibus, in quibus Rufinus archetypum latinum Tertulliani, non versionem graecam Eusebii sequitur — aliquotiens propius ad Fuldensem quam ad ceteros codices Apologetici accedere ostendit[4].

5. Equidem postquam omnes lectiones Apologetici, quae ex codice Fuldensi innotuerunt, adcurate cum ceteris codicibus comparavi, sic iudico: In codice Fuldensi habemus singularem formam Apologetici, quae multis locis sola veras Tertulliani scriptiones adservavit; recte igitur Kindlingeri Catalogus bibliothecae Fuldensis hoc codice *plane diversae librorum Tertulliani διορθώσεως familiam* exhiberi adserit[5]. Sed cave dicas cum Callewaert[6], textum huius codicis non esse vere retractatum neque in eo inveniri *de variantes intentionnelles de quelque importance*; nam revera, ut in ceteris codicibus Apologetici, ita in codice Fuldensi textus suo modo inmutatus et correctus est: saepe facilioris intellegentiae causa quaedam voces aut

[1] Quaestiones p. 14.

[2] l. l. p. 21.

[3] Le codex Fuldensis le meilleur manuscrit de l'Apologeticum de Tertullien (Revue d'histoire et de littérature religieuses, Paris. 1902, 322—353).

[4] Die griech. Übersetzung etc., Lips. 1892, 18 ss.

[5] Abhandlungen der königl. Gesellschaft der Wiss. zu Gött. 1891, 75.

[6] Le codex Fuldensis 352.

locutiones aut sententiae additae vel loco rariorum vocabulorum crebriora posita sunt.' Etiam de Lagarde in restituendis cc. 19 et 20 Apologetici[1] nimium codici Fuldensi tribuit.

Rem exemplis inlustrabo: c. 9, 14 *experti estis* pro: experti; c. 29, 3 *potior est* pro: potior; c. 29, 3 *aut — aut* pro: aut; c. 42, 8 *et — et* pro: et (et fraude et mendacio); c. 27, 1 *religionis ac divinitatis* pro: religionis; c. 50, 5 *castitatis et pudicitiae* pro: castitatis; c. 50, 12 *putastis et confessi estis* pro: confessi estis; c. 27, 5 *parent et succedunt* pro: succidunt; c. 27, 6 *repugnantium vel rebellantium* pro: rebellantium; c. 23, 12 additum est: *et dei omnia*; c. 50, 5 *Catanensium* omissum est, quia in codicibus corruptum erat in: Atheniensium; c. 40, 11 *cuius bonis ingrata est* pro: cuius et ingrata (*ingratus* c. gen. saepius apud Tert. invenitur, cfr. Hoppe, Syntax u. Stil des Tert., p. 23); c. 48, 1 *ut etiam ab animalibus sit abstinendum* pro: etiam ab animalibus abstinendi; in c. 19 maior commentatio de vetustate sacrae scripturae inserta est. Si adhuc de retractato textu Fuldensi dubitaveris, legas quaeso variantes lectiones capitis 48.

Quae cum ita sit, codex Fuldensis multum valet ad genuinas scriptiones Tertulliani eruendas; attamen magna cum cautione eo utendum est. Recte scripsit Kayser[2]: 'Fuldensem eruditus quidam librarius scripsisse videtur sed de suo ingenio saepius addidit atque mutavit'; addendum autem est, hunc librarium melius exemplar Apologetici prae oculis habuisse, quam quibus librarii ceterorum codicum, qui exstant, usi sunt.

§ 4. EDITIONES ET DISSERTATIONES.

1. Praeter libros manuscriptos et excerpta codicis Fuldensis a Modio facta ad textum Apologetici genuinum restituendum etiam vetustissimae editiones consulendae sunt.

Ex vetustis operum Tertulliani editionibus nobilissimae sunt eae, quae prodierunt: per Beatum Rhenanum Basileae

[1] Abh. d. Gesellsch. d. Wiss. zu Gött. 1891, 77 ss.

[2] Tert. Apologeticum ed. Kayser, praef. V.

primum 1521, tertium 1529, per Sigismundum Gelenium Basileae 1550, per Iacobum Pamelium Antverpiae 1579, per Nicolaum Rigaltium Parisiis 1634. Nostris temporibus criticam omnium Tertulliani operum adparavit Franciscus Oehler, maiorem in 3 tomis (tertio tomo continentur dissertationes, quarum maxima agit de Apologetico) Lipsiae 1853, minorum Lips. 1854.

2. Apologeticum Tertulliani iam anno 1483 'Venetiis per Bernardinum Benalium' typis expressum est; deinde Venetiis anno 1502 post Lactantii opera, quam editionem editioni B. Rhenani (1521) simillimam esse ipse examinando mihi persuasi. Insignem Apologetici editionem cum commentario curavit Sig. Havercampius, Lugd. Batav. 1718. Oehler supra laudatus Apologeticum et duos Ad nationes libros uno volumine separatim edidit Halae Sax. 1849, cuius editionis textus deterior est eo, qui exstat in maiore Oehleri editione. Qui postea Apologeticum ediderunt, Havercampii magis quam Oehleri textum repetivere; sunt hi: I. Kayser (Paderbornae 1865), Hurter (Ss. patrum opuscula sel., vol. XIX., Oeniponte 1872), Bindley (Londinii 1889), Vizzini (Bibliotheca ss. patrum, ser. III vol. I, Romae 1901).

Quaedam etiam de Apologetico temptavit van der Vliet, Studia ecclesiastica, Tert. I, Lugduni Batav. 1891, p. 32—41. Capita 19 et 20 Apologetici emendavit Paulus de Lagarde Septuaginta — Studien (Abhandlungen der königl. Gesellschaft der Wiss. zu Göttingen, tom. 31, Gottingae 1891, 77 ss.). Dicendi genus Tertullianeum anquisivit Hoppe, Syntax und Stil des Tertullian, Lips. 1903. Multas voces et dictiones forenses, quae leguntur in Apologetico, explanavit Dirksen, Manuale latinitatis fontium iuris civilis Romanorum, Berol. 1837. Eas Apologetici partes vel particulas, quae simili forma in libris Ad nationes leguntur, contulit Guilelmus v. Hartel, Patristische Studien II (Sitzungsberichte der Akad. der Wiss. zu Wien, phil.-hist. Kl., Vindob. 1890, 21—84).

APOLOGETICUM[1].

I. *In christianis homines oderunt, quod ignorant.*

Si non licet vobis, Romani imperii antistites[2], in aperto et edito, in[a] ipso fere vertice civitatis praesidentibus ad iudicandum palam dispicere[b 3] et coram examinare, quid sit liquido[4] in causa christianorum; si ad hanc solam[c] speciem[5] auctoritas vestra de iustitiae diligentia in publico aut timet aut erubescit inquirere; si denique, quod proxime accidit[6], domesticis iudiciis[7]

Signa (sunt eadem, quae adhibuit Oehler): λ = codex Fuldensis; A = cod. Parisinus 1623 saec. X; B = cod. Parisinus 1656 A saec. XII; C = cod. Parisinus 1689 saec. XIII; D = cod. Parisinus 2616 saec. XV; E = cod. Gothanus saec. XIII; F = cod. Erlangensis, olim Heilsbronnensis saec. XV; G = cod. Leidensis saec. XV; M = cod. Montispessulanus H 54 saec. XI; a = edidit B. Rhenanus anno 1521; b = ed. B. Rhenanus anno 1529; c = ed. Gelenius anno 1550; d = ed. Iac. Pamelius anno 1579; o = ed. Fr. Oehler Lips. 1853; S = codices omnes (vel omnes fere) praeter Fuldensem; T = editiones vetustae omnes; + = addit; > = omittit.

[a] ita λ o, > S. [b] *describere* M. [c] + *tantum* λ.

[1] Hic est titulus operis in omnibus fere libris manuscriptis. At apud s. Hieronymum (ep. 70, 5) legitur: 'Quid Tertulliano eruditius, quid acutius? Apologeticus (sc. liber) eius et Contra gentes libri cunctam saeculi obtinent disciplinam.' [2] Quos hoc loco antistites, eos aliis locis (c. 2. 9. 30. 50) vocat praesides; significantur enim praesides provinciarum, quibus actio in christianos competebat. Minus recte Eusebius h. e. V 5, 5 Tertullianum senatui Romano hanc apologiam addixisse narrat. [3] Verbum *dispicere* iurisconsultis est usitatissimum pro *examinare* vel *excutere*. [4] i. e. quid sit liquidum vel compertum. [5] Speciem vocat genus causae vel casum. [6] Quid proxime acciderit, prorsus ignoramus. [7] Domestica sunt iudicia, quae pater in filium, maritus in uxorem, dominus in servum exercet.

nimis operata[1] infestatio sectae huius[2] os[a] obstruit defensioni: liceat veritati vel occulta via tacitarum litterarum ad aures vestras pervenire.

2 Nihil de causa sua deprecatur, quia nec de conditione miratur. Scit se peregrinam in terris agere[3], inter extraneos facile inimicos invenire, ceterum genus sedem spem gratiam dignitatem in caelis habere[4]. Unum gestit interdum, ne ignorata damnetur. 3 Quid hic deperit legibus in suo regno dominantibus, si audiatur? An[b] hoc magis gloriabitur potestas earum[c], quo etiam inauditam[d] damnabunt veritatem[5]? Ceterum inauditam si damnent, praeter invidiam iniquitatis etiam suspicionem merebuntur alicuius conscientiae, nolentes audire, quod auditum damnare non possint[e 6].

4 Hanc itaque[f] primam causam apud vos conlocamus[7] iniquitatis odii erga nomen christianorum. Quam iniquitatem idem titulus et onerat et revincit[8], qui videtur excusare, ignorantia scilicet. Quid enim iniquius, quam ut oderint homines quod ignorant, etiam si res meretur odium? Tunc etenim meretur, cum cognoscitur, an mereatur. 5 Vacante autem meriti notitia, unde odii iustitia defenditur, quae non de eventu, sed de conscientia probanda est? Cum ergo propterea oderunt homines[g], quia ignorant, quale sit quod oderunt, cur non liceat eiusmodi illud esse, quod non debeant odisse? Ita utrumque ex

[a] ita λ, $>$ ABC, *viam* DEabc; cfr. adv. Marc. IV 12: *si Marcion hac voce os ei obstruxit;* adv. Marc. V 13: *et omne os obstruxit.* [b] $> \lambda$. [c] *eorum* o. [d] ita (λ) T, *auditam* ceteri. [e] *poterant* λ. [f] *igitur* λ. [g] $> \lambda$.

[1] incumbens seu dedita. [2] christianorum. [3] Cfr. c. 10: *certe enim oblitos agitis.* [4] Ep. ad Diognetum 5, 5: *Πατρίδας οἰκοῦσιν ἰδίας, ἀλλ' ὡς πάροικοι.* 5, 9: *Ἐπὶ γῆς διατρίβουσιν, ἀλλ' ἐν οὐρανῷ πολιτεύονται.* [5] Lactantius inst. div. V 1, 5: quasi vero maior iniquitas sit probatam innocentiam damnasse quam inauditam. [6] i. e. quod si audivissent, damnare non possent. [7] supple: ad examinandum. [8] Verbum *revincere* saepissime apud Tert. idem est ac convincere.

alterutro redarguimus, et ignorare illos, dum oderunt, et iniuste odisse, dum ignorant[1].

6 Testimonium ignorantiae est, quae iniquitatem dum excusat, condemnat, cum omnes, qui retro[2] oderant, quia ignorabant[a], simul[3] desinunt ignorare, cessant et odisse. Ex his fiunt christiani, utique de conperto[4] et incipiunt odisse quod fuerant, et profiteri quod oderant, et sunt tanti, quanti et[b] denotamur. 7 Obsessam vociferantur civitatem; in agris, in castellis, in insulis christianos; omnem sexum aetatem conditionem, etiam[c] dignitatem transgredi ad hoc nomen quasi detrimento maerent.

8 Nec tamen hoc ipso[d] ad aestimationem alicuius latentis boni promovent animos[5]. Non licet rectius suspicari, non libet propius[e] experiri. Hic tantum curiositas humana torpescit. Amant ignorare, cum alii gaudeant cognovisse. Quanto magis hos Anacharsis[6] denotasset inprudentes de prudentibus iudicantes quam inmusicos[7] de musicis[f]? 9 Malunt nescire, quia iam oderunt. Adeo[8] quod nesciunt[g], praeiudicant id esse, quod si sciant, odisse non poterant[h]; quando, si nullum odii meritum[i] deprehendatur, optimum utique sit, desinere iniuste odisse; si vero

[a] ita λ, + *quale sit quod oderant* ceteri. [b] > λ. [c] et (λ). [d] ita BCFG et Ad nat. I 1 (p. 59, 11): *nec tamen hoc ipso ad aestimationem alicuius latentis boni animos promovetis; ex hoc ipso modo* λ, *hoc ipso modo* DT, *hoc modo* AEo. [e] *proprius* ABM. [f] *quam inm. de mus.* > λ. [g] ita Kayser, *nesciant* cet., *quod nesciunt* > λ. [h] *quod non poterant odisse si sciant* λ. [i] ita λ, *debitum* cet.; cfr. Ad nat. I 1 (p. 59, 16): *si nullum erit meritum odii.*

[1] Ep. ad Diogn. 5 fin.: *τὴν αἰτίαν τῆς ἔχθρας εἰπεῖν οἱ μισοῦντες οὐκ ἔχουσιν.* [2] antea. [3] simulac. [4] re explorata. [5] Quamvis magnus sit christianorum numerus, tamen gentiles magnum in religione christiana bonum non suspicantur. [6] Diogenes Laertius II 8, 5 de Anacharsi narrat: *Θαυμάζειν δὲ ἔφη, πῶς παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀγωνίζονται μὲν οἱ τεχνῖται, κρίνουσι δὲ οἱ μὴ τεχνῖται.* [7] *Μουσικοί* a Graecis adpellabantur omnes litteris eruditi. Aristophanes equ. 188: *Ἀλλ' ὦγάθ' οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι πλὴν γραμμάτων καὶ ταῦτα μέντοι κακὰ κακῶς.* [8] itaque.

de merito constet, non modo nihil odio[a] detrahatur, sed amplius adquiratur ad perseverantiam, etiam iustitiae ipsius gloria[b].

10 Sed non ideo, inquit, bonum praeiudicatur[c], quia multos convertit; quanti enim ad malum performantur[d], quanti transfugae in perversum? Quis negat? Tamen quod vere malum est, ne ipsi quidem, quos rapit[1], defendere pro bono audent. Omne malum aut timore aut pudore natura perfudit[e]. 11 Denique[2] malefici gestiunt latere, devitant adparere, trepidant deprehensi[f], negant accusati, ne torti quidem facile aut semper confitentur; certe damnati maerent[3], dinumerant[g] in semetipsos, mentis malae impetus[h 4] vel fato vel astris inputant. Nolunt enim suum esse, quia[i] malum agnoscunt. 12 Christianus[k] vero quid[l] simile? Neminem pudet, neminem paenitet, nisi plane retro non fuisse; si denotatur, gloriatur; si accusatur, non defendit; interrogatus vel ultro confitetur; damnatus gratias agit[5]. 13 Quid hoc mali est, quod naturalia mali non habet, timorem pudorem tergiversationem paenitentiam deplorationem? Quod[m] hoc malum[n] est, cuius reus gaudet, cuius accusatio votum est et poena felicitas[o]? Non potes dementiam dicere, qui[p] revinceris ignorare.

[a] ita λ, *odii* cet.; cfr. Ad nat. I 1: *nihil odio detrahetur.* [b] *gloriae* λ, *auctoritate* cet. [c] ita λ, > cet.; cfr. Ad nat. I 1: *non utique eo bonum praeiudicari.* [d] *reformantur* λ; verbum *performare* alias apud Tert. non legitur. [e] *perfundit* GM. [f] *adprehensi* λ; cfr. Ad nat. I 1: *trepidant deprehensi.* [g] *enumerant* λ. [h] *ignaviam* λ. [i] *quod* λ F; cfr. Ad nat. I 1: *nolunt suum esse quia malum negare non possunt.* [k] *christianos* λ. [l] *nihil* λ; cfr. Ad nat. I 1: *christiani vero quid tale.* [m] ita A cum 7 aliis codd., *quid* (λ) et ceteri. [n] *mali* (λ) T; cfr. Ad nat. I 1: *quod hoc malum est.* [o] *victoria* λ. [p] *quod* λ.

[1] in partem suam trahit. [2] ut unum adferam, seu exempli gratia. [3] i. e. si damnantur, pro certo maerent. [4] Ad nat. I 1: malae mentis ab innocentia transitum. [5] Id fecit s. Cyprianus, qui capitis damnatus exclamavit: deo gratias (Aug. sermo 309, 4, 6).

II. *Christiani, etsi atrocissimorum criminum rei habentur, aliter ac ceteri rei tractantur: non conquiruntur neque ut confiteantur, sed ut negent, torquentur.*

Si certum est denique, nos nocentissimos esse, cur a vobis ipsis aliter tractamur, quam pares nostri, id est ceteri nocentes, cum eiusdem noxae[a] eadem tractatio deberet[b] intervenire? 2 Quodcumque dicimur, cum alii dicuntur, et proprio et mercenario ore[c][1] utuntur ad innocentiae suae commendationem; respondendi, altercandi facultas patet, quando nec liceat indefensos et inauditos omnino damnari. 3 Sed christianis solis nihil permittitur loqui, quod causam purget, quod veritatem defendat, quod iudicem non faciat iniustum, sed illud solum exspectatur, quod odio publico necessarium est: confessio nominis, non examinatio criminis; 4 quando, si de aliquo nocente cognoscatis, non statim confesso eo nomen homicidae[d] vel sacrilegi[e] vel[f] incesti vel publici hostis, ut de nostris elogiis[2] loquar, contenti sitis ad pronuntiandum, nisi et consequentia[3] exigatis, qualitatem facti numerum locum tempus conscios socios? 5 De nobis nihil tale, cum aeque extorqueri oporteret quod cum falso[g][4] iactatur, quot quisque iam infanticidia degustasset, quot incesta contenebrasset[5], qui coqui, qui canes adfuissent[6]. O quanta illius

[a] *noxietatis λ.* [b] *debet λ* F. [c] ita *λ, et proprio ore et mercenaria advocatione* cet. [d] *homicidii* GM. [e] *sacrilegii* CGM. [f] > M. [g] *de falso λ.*

[1] Causam dicitis in iudiciis et proprio ore et mercenaria advocatione adhibita. [2] *Elogium* apud Tert. aliosque scriptores ecclesiasticos est titulus vel testimonium (sive bonum sive malum); cfr. De cor. 5: 'Omne autem quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes, penes nos vero etiam elogium sacrilegii. [3] ut inde de veritate confessionis iudicare possitis. [4] Cum vocabulum *falsum* substantivi instar a Septimio nostro usurpetur (cfr. adv. Marc. IV 42: habe falsi tui praedam), locutio *cum falso* imitatur tritam illam: *cum fide.* [5] tenebris texisset. [6] Eus. h. e. V 1, 14 Viennenses et Lugdunenses christiani adfirmant: *κατεψεύσαντο ἡμῶν Θυέστεια δεῖπνα καὶ Οἰδιποδείους μίξεις.*

praesidis gloria[a], si eruisset aliquem, qui centum iam infantes comedisset!

6 Atquin invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus, cum provinciam regeret, damnatis quibusdam christianis, quibusdam de[b] gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero[c] ageret, consuluit tunc Traianum imperatorem[1], adlegans, praeter obstinationem non sacrificandi nihil aliud se de sacramentis[d] eorum comperisse, quam coetus antelucanos ad canendum Christo ut[e] deo et ad confoederandam[2] disciplinam homicidium adulterium fraudem perfidiam et cetera scelera prohibentem[f]. 7 Tunc Traianus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere[3].

8 O sententiam necessitate[4] confusam! Negat inquirendos, ut innocentes et mandat puniendos ut nocentes. Parcit et saevit, dissimulat et animadvertit. Quid temetipsam censura circumvenis? Si damnas, cur non et inquiris? si non inquiris, cur non et absolvis? Latronibus vestigandis[g] per universas provincias militaris statio[5] sortitur[6]; in reos maiestatis et publicos hostes omnis homo miles est: ad socios, ad conscios usque inquisitio extenditur. 9 Solum christianum inquiri non licet, offerri licet,

[a] + *fuisset λ.* [b] ita λ, > cet.; cfr. adv. Marc. IV 9: *de gradu pellam.* [c] *de ceteris λ;* sed cfr. Eus. h. e. III 33, 3: λοιπόν. [d] *sacramento λ.* [e] ita Havercamp, *et* cet. omnes; cfr. Eus. l. l.: θεοῦ δίκην et Plin. ep. X 96: *carmenque Christo quasi deo.* Tertullianus scribere potuit: *ad canendum deo et Christo* (uti De spect. 25 legitur: *nisi deo et Christo*), sed non: *Christo et deo.* [f] ita van der Vliet, *prohibentes* cet. omnes. [g] *investigandis* CGM Leidensis alter.

[1] Plinii et Traiani ep. X 96 (al. 97). [2] ad disciplinam quasi foldere sanciendam. [3] Plinii et Traiani ep. X 97 (al. 98): Conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt. [4] i. e. animi angustiis, quibus obstrictus imperator simul et civium Romanorum odio et iustitiae satisfacere studebat. [5] Suetonius, Aug. 32: Grassatores dispositis per opportuna loca stationibus inhibuit. Idem, Tib. 37. [6] passive.

quasi aliud esset actura inquisitio quam oblationem[1]. Damnatis itaque oblatum, quem nemo voluit requisitum; qui, puto, iam non ideo meruit poenam, quia nocens est, sed quia non requirendus inventus est.

10 Sed[a] nec in illo[b] ex forma[2] malorum iudicandorum agitis erga nos, quod ceteris negantibus tormenta adhibetis ad confitendum, solis christianis ad negandum, cum si malum esset, nos quidem negaremus, vos vero confiteri tormentis compelleretis. Neque enim ideo non putaretis requirenda quaestionibus scelera, quia certi essetis admitti ea ex nominis confessione, qui hodie de confesso homicida, scientes homicidium quid sit, nihilominus ordinem extorquetis[c] admissi. 11 Quo perversius[d], cum praesumatis de sceleribus nostris ex nominis confessione, cogitis tormentis de confessione decedere, ut negantes nomen pariter utique negemus et scelera, de quibus ex confessione nominis praesumpseratis.

12 Sed, opinor, non vultis nos perire, quos pessimos creditis. Sic enim soletis dicere homicidae: *nega*, laniari iubere[e] sacrilegum, si confiteri perseveraverit[3]. Si non ita agitis circa[f] nocentes, ergo[g] nos innocentissimos iudicatis, cum[h] quasi innocentissimos non vultis in ea confessione perseverare, quam necessitate, non iustitia damnandam a vobis sciatis[i]. 13 Vociferatur homo: christianus sum[4]. Quod est, dicit; tu vis audire quod

[a] ita λ, *itaque* cet. [b] *isto* λ. [c] *exquiritis* λ. [d] *quod perversius est* λ. [e] *debere* λ. [f] ita λ M, *circa nos ut circa* van der Vliet, + *nos* cet. [g] *erga* λ. [h] *iudicatis cum* > λ. [i] *putatis* λ.

[1] delationem. [2] *Forma* apud Tert. persaepe est modus vel lex. [3] Hoc ironice intellegendum est; vult enim dicere: Non soletis nocentes ad negandum hortari neque tormentis laniari iubere, si confiteri perseveraverint. [4] Acta Scilitanorum mart. 9—10: 'Vestia dixit: Christiana sum. Secunda dixit: Quod sum, ipsud volo esse. Saturninus proconsul Sperato dixit: Perseveras christianus? Speratus dixit: Christianus sum; et cum eo omnes consenserunt.' Eus. h. e. V 1, 20: (ὁ Σάγκτος) *πρὸς πάντα τὰ ἐπερωτώμενα ἀπεκρίνατο τῇ Ῥωμαϊκῇ φωνῇ· χριστιανός εἰμι.*

non est. Veritatis extorquendae praesides de nobis solis mendacium elaboratis audire[a]. Hoc sum, inquit, quod quaeris an sim. Quid me torques in perversum? Confiteor, et torques; quid faceres, si negarem? Plane aliis negantibus non facile fidem adcommodatis: nobis, si negaverimus, statim creditis.

14 Suspecta sit vobis ista perversitas, ne qua vis lateat in occulto, quae vos adversus formam, adversus naturam iudicandi, contra ipsas quoque leges ministret[1]. Nisi fallor enim, leges malos erui iubent, non abscondi, confessos damnari praescribunt, non absolvi. Hoc senatus consulta, hoc principum mandata definiunt. Hoc imperium, cuius ministri estis, civilis, non tyrannica dominatio est. 15 Apud tyrannos enim tormenta etiam pro poena adhibebantur[b]; apud vos soli[c] quaestioni temperatur[d 2]. Vestram illis servate legem usque ad confessionem necessariis[e], et iam si confessione praeveniantur, vacabunt, sententiae ceditur[f]; debito poenae nocens expungendus est, non eximendus[3].

16 Denique nemo illum[4] gestit absolvere; non licet hoc velle. Ideo nec cogitur quisquam negare. Christianum hominem omnium scelerum reum, deorum imperatorum legum morum naturae totius inimicum existimas et cogis negare, ut absolvas, quem non poteris absolvere, nisi negaverit. 17 Praevaricaris in leges. Vis ergo[g] neget se nocentem, ut eum facias innocentem, et quidem invitum iam nec de praeterito reum. Unde ista perversitas, ut etiam illud non recogitetis, sponte confesso magis credendum esse quam per vim neganti; vel ne[5] compulsus negare non ex

a *audire laboratis* λ. b *adhibenter* (λ) FGM Florent. T. c *solos* λ. d *temperantur* Gbc Haverc. e ita λ, *necessariam* cet. f ita λ, *sententia opus est* cet. g *ut* λ.

1 Tertullianus gentiles a malis daemonibus ad hanc perversitatem inpelli indicat; non enim verisimile esse, homines sapientissimos neglecta omni iudiciorum forma adversus nomen christianum ita furere, nisi vis quaedam latens eos concitet. Eadem sententia fuit s. Iustini (Ap. I 12, 5 et 14, 1—2). 2 Romani tormentis ad solam quaestionem utebantur. 3 Reorum, qui confessi sunt, nomina non ante supplicium sumptum de tabella expunguntur. 4 reum confessum. 5 i. e. verendum esse ne.

fide[1] negarit et absolutus ibidem post tribunal de vestra rideat aemulatione[2] iterum christianus?

18 Cum[a] igitur in omnibus nos aliter[b] disponitis[3] quam ceteros nocentes, ad unum contendendo, ut de isto[c] nomine excludamur — excludimur enim, si faciamus quae faciunt non christiani — intellegere potestis, non scelus aliquod in causa esse, sed nomen, quod quaedam ratio aemulae operationis[4] insequitur, hoc primum agens, ut homines nolint scire pro certo quod se nescire pro certo sciunt[5]. 19 Ideo et credunt de nobis quae non probantur, et nolunt inquiri, ne probentur non esse quae malunt credidisse, ut nomen illius aemulae rationis[d] inimicum praesumptis, non probatis criminibus de sua sola confessione damnetur[e]. Ideo torquemur confitentes et punimur perseverantes et absolvimur negantes, quia nominis proelium est. 20 Denique quid de tabella recitatis[6] illum christianum? cur non et homicidam, si homicida christianus? cur non et incestum vel quodcumque aliud esse nos creditis? In nobis solis pudet aut piget ipsis nominibus scelerum pronuntiare. Christianus[7] si nullius criminis nomen est, valde ineptum, si solius nominis crimen est[f].

[a] *cur λ.* [b] *aliter nos λ.* [c] ita λ, *eo* cet.; cfr. Hoppe, Syntax p. 104. [d] *operationis λ, aemulationis* GMbcd Gorziens. Florent. [e] *damnet λ.* [f] *Denique quid de tabella .... crimen est:* ita Callewaert cum λ (excepto quod in λ legitur *incestus* pro *incestum* et quod post *recitatis* Callewaert signum interrogationis [?] adponit); Oehler cum aliis codicibus ita habet: '*Cur non et homicidam? Si homicida christianus cur non et incestus .... si nullius criminis nomine reus est valde incestum.*'

[1] ex animi sententia. [2] *Aemulatio* innumeris Tertulliani locis legitur pro: odium seu inimicitiae. [3] aliter nobiscum agitis (ihr stellt uns anders). Disponere graece est *διατίθεσθαι*. [4] daemonum. [5] Ad nat. I 3: ut nolitis scire pro certo, quod vos pro certo nescire certi estis. [6] Nomina et rei et criminis iudicio facto ex tabella recitabantur. [7] i. e. nomen christianum; cfr. c. 3, 5.

III. *Odiosum sine causa est nomen christianum.*

Quid? quod ita plerique clausis oculis in odium eius inpingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes admisceant nominis exprobrationem. Bonus vir Gaius Seius, tantum quod christianus. Item alius: Ego miror Lucium Titium[a 1], sapientem virum, repente factum christianum. Nemo retractat[2], ne[3] ideo bonus Gaius et prudens Lucius, quia christianus, aut ideo christianus, quia prudens et bonus. 2 Laudant quae sciunt, vituperant quae ignorant, et id quod sciunt, eo quod ignorant, inrumpunt, cum sit iustius occulta de manifestis praeiudicare quam manifesta de occultis praedamnare[4].

3 Alii quos retro ante hoc nomen vagos viles inprobos noverant, ex ipso[b] denotant[5], quod laudant: caecitate odii in suffragium inpingunt[c]. [c]Quae mulier, quam[d] lasciva, quam[d] festiva! Qui[e] iuvenis, quam[d] lusius[f], quam amasius! Facti sunt christiani[c]. Ita nomen emendationi inputatur[6]. 4 Nonnulli etiam de utilitatibus suis cum odio isto paciscuntur[7], contenti iniuria[8], dum ne domi habeant quod oderunt. Uxorem iam pudicam maritus iam non zelotypus eiecit[g], filium iam subiectum pater retro patiens abdicavit, servum iam fidelem dominus olim

[a] ita λ o, *ego Titium* (om.: *miror Lucium*) cet. [b] *ex hoc ipso* λ. *Ipse* apud Tert. saepe pro *idem* ponitur (Hoppe, Syntax p. 104). [c] + *enarrantes* λ. [d] *qui* GM. [e] *quis* ADEo. [f] ita λ, *lucius* SMT, *lascivus* o cum tribus codd. [g] ita λ, > cet.

[1] Pervulgata erant apud Romanos haec nomina ficticia; Gaius inst. II 250: Rogo te L. Titi ... ut ... G. Seio reddas restituas. Iuvenal. sat. IV 13: Nam quod turpe bonis Titio Seioque, decebat Crispinum. [2] secum reputat. [3] ob nicht etwa; cfr. Hoppe, Syntax p. 72. [4] Ethnici illum christianum bonum sapientemque virum esse sciunt; nihilominus eum damnant ut christianum, etsi ignorant, quid sint christiani. [5] vituperant, criminantur. [6] i. e. crimini datur. [7] Tantum est quorundam hominum odium, ut cum proprio suo damno ei satisfaciant. [8] damno.

mitis ab oculis relegavit; ut quisque hoc nomine emendatur, offendit. Tanti non est bonum, quanti [a] odium christianorum [1].

5 Nunc [b] igitur, si nominis odium est, quis nominum reatus [2]? Quae accusatio vocabulorum, nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum aut maledicum aut inpudicum? Christianus vero, quantum interpretatio est, de unctione deducitur. Sed et cum perperam *chrestianus* pronuntiatur a vobis [3] — nam nec nominis certa est notitia penes vos — de suavitate vel benignitate [4] compositum est. Oditur itaque in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.

6 At enim secta oditur in nomine utique sui auctoris. Quid novi, si aliqua disciplina de magistro cognomentum sectatoribus suis inducit? Nonne philosophi de auctoribus suis nuncupantur Platonici Epicurei Pythagorici? etiam a locis conventiculorum et stationum suarum Stoici Academici? aeque medici ab Erasistrato et grammatici ab Aristarcho, coqui etiam ab Apicio [5]? 7 Nec tamen quemquam offendit professio nominis cum institutione transmissi [c] ab institutore. Plane, si qui probet malum auctorem et malam sectam [d], is probabit et nomen malum, dignum odio de reatu sectae et auctoris; ideoque ante odium nominis competebat prius de auctore sectam recognoscere vel auctorem de secta. 8 At nunc utriusque inquisitione et agnitione neglecta nomen detinetur, nomen expugnatur, et ignotam sectam,

[a] *quam* λ. [b] > λ. [c] ita λ, *transmissa* cet. [d] ita λ, *probavit malam sectam et ita malum et auctorem* cet.

[1] Nullum bonum tantum valet, quantum odium christianorum. culpa. [3] Ethnici saeculo altero vulgo arbitrabantur nomen christianum a voce *χρηστός* derivandum esse; cfr. Iust. apol. I 4, 5: *Χριστιανοὶ γὰρ εἶναι κατηγορούμεθα· τὸ δὲ χρηστὸν μισεῖσθαι οὐ δίκαιον.* Tacit. ann. XV 44: quos per flagitia invisos vulgus chrestianos (ita legendum est) adpellabat. Suet., Claud. 25: Iudaeos impulsore Chresto adsidue tumultuantes Roma expulit. Lact. inst. div. IV 7: Exponenda huius nominis ratio est propter ignorantium errorem, qui eum inmutata littera Chrestum solent dicere. [4] *χρηστότης.* [5] Apicius, famosissimus helluo, temporibus Augusti et Tiberii vixit; cfr. Senec. ad Helv. 10, 2 ss.

ignotum et auctorem vox sola praedamnat, quia nominantur, non quia revincuntur[1].

IV. *Legum humanarum auctoritas tanta non est, ut errare et repurgari nequeant.*

Atque adeo quasi praefatus haec ad suggillandam odii erga nos publici iniquitatem, iam de causa innocentiae consistam; nec tantum refutabo quae nobis obiciuntur, sed etiam in ipsos retorquebo, qui obiciunt, ut ex hoc quoque sciant homines, in christianis non esse quae in se non[a] nesciunt esse, simul uti erubescant accusantes, non dico pessimi optimos, sed iam[b], ut volunt, compares suos[2]. 2 Respondebimus ad singula, quae in occulto admittere dicimur, quae palam adinveniuntur[c], in quibus scelesti, in quibus vani, in quibus damnandi, in quibus inridendi deputamur[3].

3 Sed quoniam, cum ad omnia occurrit veritas nostra, postremo legum obstruitur auctoritas adversus eam, ut aut nihil dicatur retractandum esse post leges, aut ingratis[4] necessitas obsequii praeferatur veritati, de legibus prius consistam[d 5] vobiscum, ut[e] cum tutoribus legum. 4 Iam primum, cum iure[f] definitis dicendo: *Non licet esse vos!*[6] et hoc sine ullo retractatu

[a] ita λ, > cet. [b] *etiam* λ. [c] ita λ (cfr. Callewaert p. 338 s.), *quae illos palam admittentes invenimus* cet. [d] ita λ, *concurram* cet. [e] *et* λ. [f] ita λ, *dure* cet.

[1] convincuntur. [2] iisdem vitiis infectos. [3] Hoc loco Tert. argumentum totius operis exponit. Primum acturum se esse ait de iis delictis, quae christiani in occulto committere dicuntur, i. e. de infanticidio et incesto; deinde de iis, quae palam perpetrant diis imperatoribusque honorem debitum recusando et contra imperium Romanum coniurando. Ostendit christianos non esse scelestos (c. 7—9), vanos in cultu (c. 10—28), damnandos velut maiestatis reos (c. 29—45), inridendos (c. 46—50). [4] velis nolis (wohl oder übel). [5] *Consistere* forensi usu significat: iudicio congredi; cfr. c. 4, 1: iam de causa innocentiae consistam. Marcian. fr. 7 de lege Cornel. de fals. 48, 10: Nullo modo servi cum dominis suis consistere possunt. [6] Sulp. Severus chron. II 29, 3 de Nerone: 'Hoc initio in christianos saeviri

humaniore praescribitis, vim profitemini et iniquam ex arce[1] dominationem, si ideo negatis licere, quia non[a] vultis, non quia debuit non licere. 5 Quodsi quia non debet, ideo non vultis[b] licere, sine dubio id non debet licere, quod male fit, et utique hoc ipso praeiudicatur licere quod bene fit. Si bonum invenero esse, quod lex tua[c] prohibuit, nonne ex illo praeiudicio prohibere me non potest, quod, si malum esset, iure prohiberet? Si lex tua erravit, puto, ab homine concepta est; neque enim de caelo ruit.

6 Miramini hominem aut errare potuisse in lege condenda, aut resipuisse in reprobanda? Non enim et ipsius Lycurgi leges a Lacedaemoniis emendatae tantum auctori suo doloris incusserunt, ut in secessu inedia de semet ipso iudicarit[2]? 7 Nonne et vos cottidie, experimentis inluminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem et squalentem silvam legum novis principalium rescriptorum et edictorum securibus ruspatis[d 3] et caeditis? 8 Nonne vanissimas Papias leges, quae ante liberos suscipi cogunt quam Iuliae matrimonium contrahi[4], post tantae auctoritatis

[a] ita λ, > cet. [b] *quia non debet licere ideo noluistis* λ. [c] > λ. [d] ita λ, *truncatis* cet.

coeptum; post etiam datis legibus religio vetabatur palamque edictis propositis christianum esse non licebat; tum Paulus et Petrus capitis damnati.' [1] graece ἐξ ἀκροπόλεως; cfr. Iuvenal. sat. X 306 s.: Nullus ephebum | deformem saeva castravit in arce tyrannus. [2] Plutarchum sequitur Tertullianus; at Plutarchus narrat (Lyc. 46), Lycurgum, postquam Lacedaemonios iureiurando obstrinxisset se leges latas fideliter observaturos esse, donec Delphis ipse rediret, inedia mortem sibi conscivisse, ne sacramenti religione umquam solverentur. [3] De pallio 2: 'runcare atque ruspare.' Glossar. Isidori: 'ruspatur, perquirunt anxie.' Du Cange glossar. (s. h. voce): 'Ruspari proprie gallinarum, quae pedibus escam quaerunt, a rus et pes.' [4] Lege de maritandis ordinibus Augustus anno 18 ante Chr. inter sponsalia et nuptias triennium intercedere posse sanxerat. Sed cum hoc spatium postea ei longius videretur et multi eo abuterentur, ut honoribus quidem praemiisque maritorum fruerentur, liberos autem non procrearent, Augustus anno 9 post Chr. lege Papia Poppaea con-

senectutem heri Severus, constantissimus[1] principum, exclusit[2]? 9 Sed et iudicatos in partes secari a creditoribus leges erant; consensu tamen publico crudelitas postea erasa est[3]. In pudoris notam[4] capitis poena conversa est[5]; bonorum adhibita proscriptio[a] suffundere[6] maluit hominis sanguinem quam effundere.

10 Quot adhuc vobis repurgandae latent leges, quas neque annorum numerus[b] neque conditorum dignitas commendat, sed aequitas sola? Et ideo cum iniquae recognoscuntur, merito damnantur, licet et[c] damnent[d]. 11 Quomodo[e] iniquas dicimus? Immo, si nomen puniunt, etiam stultas; si vero facta, cur de solo nomine puniunt facta, quae in aliis de admisso, non de nomine probata defendunt[7]? Incestus sum; cur non requirunt? infanticida[f 8]; cur non extorquent? In deos, in Caesares aliquid[g] committo, cur non audior qui habeo quo[h] purger? 12 Nulla lex vetat discuti quod prohibet admitti, quia neque iudex iuste ulciscitur, nisi cognoscat admissum esse quod non licet, neque civis

[a] *praescriptio* A. [b] > λ. [c] ita λ, > cet. [d] *damnentur* λ. [e] *Quid modo* van der Vliet. [f] ita BCGcd Kayser Haverc, *infanticidia* cet. [g] *in deos incestum aliquod* GM. [h] *quod* GM.

sulibus suffectis Papio et Poppaeo lata tempus sponsas habendi biennio coarctavit, ita ut, qui puellam decennem sibi desponderat, eam duodecennem in matrimonium ducere cogeretur; cfr. Cassium Dion. LIV 16 et LVI 7; Suet., Oct. 34; Tac. ann. III 25. Puella nondum duodecim annos nata ex legibus Romanis nubere nequibat. [1] Spartianus vita Severi c. 14: 'ut esset imperator vere nominis sui, vere Pertinax, vere Severus.' [2] abrogavit. [3] Si plures creditores erant, ex lege XII tabularum debitorem sibi a iudice addictum in partes secare poterant; quam legem, ut etiam Gellius (noct. Att. XX 1) et Quintilianus (inst. or. III 6, 84) testantur, 'mos publicus repudiavit'. [4] in poenam infamiae. [5] Hoc dictum (*In pudoris ... conversa est*) ad sequentem sententiam mihi trahendum videtur esse; ceteri, ut Oehler, cum antecedente coniunxerunt. [6] *Suffundere* pro *rubore suffundere* familiare est Tertulliano. [7] puniunt, ulciscuntur. [8] Verbo *extorquere* veteres saepius usi sunt pro *torquere*; quod cum non viderent, complures librarii pro 'infanticida' emendarunt 'infanticidia' eosque secutus est Oehler.

fideliter legi obsequitur ignorans, quale sit quod ulciscitur lex[a]. 13 Nulla lex sibi soli conscientiam iustitiae suae debet[1], sed eis, a quibus obsequium exspectat. Ceterum suspecta lex est, quae[b] probari se non vult, inproba autem, si non probata dominetur[c].

V. *Tiberius Christum in deorum numerum referre intendit; iniqui tantum imperatores christianos persecuti sunt.*

Ut de origine aliquid retractemus[d] eiusmodi legum, vetus erat decretum, ne qui deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probatus[2]. Scit M. Aemilius de deo suo Alburno[3]. Facit et hoc ad causam nostram, quod apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini deus placuerit, deus non erit; homo iam deo propitius esse debebit. 2 Tiberius ergo, cuius tempore nomen christianum in saeculum intravit[e], adnuntiata sibi ex Syria Palaestina[4], quae illic veritatem istius[f] divinitatis revelaverant[g], detulit ad senatum cum praerogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit; Caesar in sententia

[a] > λ. [b] *si* λ. [c] *dominatur* λ. [d] *tractemus* Ruf. h. e. II 2, 5. [e] ita λ et Ruf. l. l., *introivit* cet. [f] ita λ et Ruf. l. l., *illius* DGacd, *ipsius* cet. [g] ita o cum λ et Ruf. l. l., *adnuntiatum* . . . *quod* . . . *revelaverat* cet.

[1] Sibi soli iustitiae suae rationem reddere debet. [2] Imperatores Romanos non nisi ex senatus consulto deos esse consecratos constat; cfr. Marquardt, Röm. Staatsverwaltung III 264 s. (2. edit. p. 275). [3] Huius rei solus testis est Tertullianus. Adv. Marc. I 18: homo deum commentabitur, quomodo Romulus Consum . . . et Metellus Alburnum. Ad nat. I 10: 'Mentior, si numquam censuerant, ne qui imperator fanum, quod in bello vovisset, prius dedicasset, quam senatus probasset, ut contigit M. Aemilio, qui voverat Alburno deo.' Res sine dubio ex Varrone deprompta est. Cfr. Liv. IX 46: Itaque ex auctoritate senatus latum ad populum est (anno 304 a. Chr.), ne quis templum aramve iniussu senatus aut tribunorum plebei partis maioris dedicaret. [4] Nomen Syria Palaestina iam apud Herodotum (I 105; II 104) legitur; cfr. Marquardt, Röm. Staatsverwaltung I (Lips. 1873) 262.

mansit, comminatus periculum accusatoribus christianum[1]. 3 Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cum[a] maxime Romae orientem Caesariano gladio ferocisse[2]. Tali[b] dedicatore damnationis nostrae etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intellegere potest non nisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum. 4 Temptaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate; sed qua et[c] homo[3], facile coeptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat. Tales semper nobis[d] insecutores iniusti inpii turpes, quos et ipsi damnare consuestis, a quibus damnatos restituere soliti estis.

5 Ceterum de tot exinde principibus ad hodiernum divinum humanumque sapientibus edite aliquem debellatorem christianorum! 6 At nos e contrario edimus protectorem, si litterae Marci Aurelii, gravissimi imperatoris, requirantur, quibus illam Germanicam sitim christianorum forte militum precationibus inpetrato imbri discussam contestatur[4]. Sicut non palam ab eius-

[a] > λ; sed in graeca versione (apud Eus. h. e. II 25, 4) legitur: ἡνίκα μάλιστα. [b] ita λ et Ruf., *sed tali* cet. [c] *quia et* λ DEMabc Oxon. Erfurt., *quasi* Ruf. l. l., ἅτε ἔχων τι συνέσεως Eus. h. e. II 25, 4. [d] *nobis semper* Ruf.

[1] Eandem rem memorant Tert. apol. 21; Orosius hist. VII 7; s. Chrysost. hom. 26, 4 in ep. 2 ad Cor. (Montf. X 624[a]). Acta Pilati iam s. Iustinus laudat apol. I 35. 48; quae vero exstant Acta seu Gesta Pilati, quibus iisdem nomen est Evangelium Nicodemi (ed. Thilo, Codex apocr. novi test. I 796), saeculo IV. orta sunt; cfr. Lipsius, Die Pilatusakten, Kiliae 1871 et 1886. Denique omnia, quae a veteribus de Tiberio Christi consecratore narrata sunt, pro fictis et commenticiis habenda sunt; cfr. Keim, Rom und das Christentum, Berol. 1881, 161—171. [2] Tac. ann. XV 44. [3] sed cum non omnem, velut Nero, humanitatem abiecisset. [4] De duabus rebus loquitur Tertullianus: de miraculo pluviae et de epistula imperatoris Marci ad senatum scripta. De miraculo sunt testes exploratissimi praeter Tertullianum (ap. 5 et ad Scap. 4) Apollinaris episcopus apud Eus. h. e. V 5; Cassius Dio LXXI 8—10; Capitolinus vita Anton. 24; Marci columna Romae conlocata, in qua Iuppiter pluvius cernitur super exercitibus multa aqua stillans, at non fulminans (Petersen in: Mitteilungen des archäologischen Instituts, Röm. Abt. IX, Romae 1894,

modi hominibus poenam dimovit, ita alio modo palam dispersit[1], adiecta etiam accusatoribus[a] damnatione, et quidem tetriore[2]. 7 Quales ergo leges istae, quas adversus nos soli execuntur[b] inpii iniusti turpes truces vani dementes, quas Traianus ex parte frustratus est vetando inquiri christianos, quas nullus Vespasianus, quamquam Iudaeorum debellator, nullus Hadrianus, quamquam omnium curiositatum explorator[c 3], nullus Pius, nullus Verus

[a] *accusatorum* λ. [b] ita λ, *ἔπονται* Eus. h. e. V 5, 7, *exercent* cet. [c] ita λ et Eus. l. l.; *nullus Hadrianus quamquam omnium . . . nullus Vesp. quamquam Iud. debellator* cet.

78 ss.). Sed de causa miraculi auctores inter se differunt; Apollinaris cum Tertulliano pluviam a vero deo precibus militum christianorum, Capitolinus a diis precibus imperatoris impetratam esse aiunt; Cassius Dio eam artibus Arnuphis magi Aegyptii, qui erat in comitatu imperatoris, adscribit. Quod autem addit Apollinaris, legionem duodecimam Melitenam, cuius milites christiani genuflexi imbrem a deo imploravissent, eo ex eventu fulminatam dictam esse, sine dubio falsum est; ei enim legioni iam temporibus Augusti cognomen fulminatae erat (Cass. Dio LV 23; C. I. Lat. III p. 95). Denique imperatorem M. Aurelium de prodigio sitis Germanicae litteras ad senatum misisse, refert etiam Cassius Dio, et Harnackio verisimile esse videtur (Die Quelle der Berichte über das Regenwunder, in: Sitzungsberichte der preuss. Akad. der Wiss., Berol. 1894, II 835 ss., maxime 854 ss.), aliis vero non probatur (Allard, Histoire des persécutions pendant les premiers siècles p. 382 ss. et Joh. Geffken, Das Regenwunder im Quadenkriege, in: Neue Jahrbücher für d. klass. Altert. III, Lipsiae 1899, 253 ss.). Id vero minime dubitandum est, quin in ea quam diximus epistula, si revera scripta est, de christianis militibus sermo non fuerit; Tertullianus ipse eam rem adposita particula *forte* satis dubiam esse indicat. [1] irritam fecit. [2] Capitolinus, Anton. Philosophus 11, 1: 'Calumniis quadruplatorum (i. e. delatorum) intercessit, adposita falsis delatoribus nota.' Delatoribus christianorum nominatim poenas intentasse M. Aurelium non constat; Hadrianus rescripto ad Minucium Fundanum dato constituit, ut in delatores christianorum animadverteretur, si adversus leges illos quicquam agere probare non possent. [3] Spartianus, Hadr. 11, 4: 'et erat curiosus non solum domus suae sed etiam amicorum, ita ut per frumentarios occulta omnia exploraret'. Cassius Dio hunc imperatorem *περίεργος* et *πολυπράγμων* vocat (LXXIX 5, 1).

inpressit[1]? 8 Facilius utique pessimi ab optimis quibusque, ut ab aemulis, quam a suis sociis eradicandi iudicarentur.

VI. *Multae leges, praesertim sumptuariae, a Romanis abolitae, multa instituta maiorum oblitterata sunt.*

Nunc religiosissimi legum et paternorum institutorum protectores et ultores respondeant velim de sua fide et honore et obsequio erga maiorum consulta, si a nullo desciverunt, si in nullo exorbitaverunt, si non necessaria et aptissima quaeque disciplinae oblitteraverunt[2]. 2 Quonam[a] illae leges abierunt sumptum et ambitionem comprimentes, quae centum aera non amplius in cenam subscribi[3] iubebant, nec amplius quam unam inferri gallinam et eam non saginatam[4]; quae patricium, quod decem pondo argenti habuisset, pro magno ambitionis titulo senatu submoverunt[b 5], quae theatra stuprandis moribus orientia statim destruebant[6], quae dignitatum[c] et honestorum natalium insignia[7] non temere nec inpune usurpari sinebant? 3 Video enim et centenarias cenas a centenis iam sestertiis dicendas[8],

[a] *quo* A, *quoniam* M. [b] ita λ, *submovebant* cet. [c] *dignitatem* ADEc Erfurt. Oxon.

[1] Errat Tertullianus malos tantum imperatores christianis infensos fuisse ratus. [2] in oblivionem adduxerunt. [3] concedi. [4] Adludit ad leges sumptuarias, ex. gr. Liciniam anno 103 a. Chr. latam, quae cum certis diebus centenos aeris inpendere concessisset, nuptiis ducenos indulsit; cfr. Gell. noct. Att. II 24; Macrobius sat. III 17. [5] Valerius Maximus II 9, 4: 'Quid de Fabrici Luscini censura (anno 275 a. Chr.) loquar? narravit omnis aetas et deinceps narrabit ab eo Cornelium Rufinum duobus consulatibus et dictatura speciosissime functum, quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum in ordine senatorio retentum non esse.' [6] De spect. 10; s. Aug. de civ. dei II 32: pontifex autem propter animorum cavendam pestilentiam ipsam scenam construi prohibebat. [7] anuli aurei, insignes vestes, lunati calcei. [8] Sensus est: Cenae, in quas lex Licinia centeni aeris seu centum asses ut inpenderentur permisit, centenariae nunc dicendae sunt a centenis sestertiis.

et in lances — parum est, si senatorum et non libertinorum vel adhuc flagra rumpentium[1] — argentaria metalla producta. Video et theatra nec singula satis esse nec nuda[2]. Ne[a] vel hieme voluptas inpudica frigeret, primi Lacedaemonii odium penulae[b] ludis excogitaverunt[3]. Video et inter matronas atque prostibulas nullum de habitu discrimen relictum[4].

4 Circa feminas quidem etiam illi maiorum instituta ceciderunt, quae modestiae, quae sobrietati patrocinabantur, cum aurum nulla norat praeter unico digito, quem sponsus obpignerasset pronubo anulo[5]; cum mulieres usque adeo[c] vino abstinerentur, ut matronam ob resignatos cellae vinariae loculos sui inedia necarint, sub Romulo vero quae vinum adtigerat, inpune a Metennio marito[6] trucidata sit. 5 Idcirco et oscula propinquis offerre etiam necessitas erat, ut spiritu[7] iudicarentur[d]. 6 Ubi est illa felicitas matrimoniorum de moribus utique prosperata, qua per annos ferme sexcentos ab urbe condita nulla repudium domus scripsit? At nunc in feminis prae auro nullum leve est membrum, prae vino nullum liberum est osculum, repudium vero iam et votum est, quasi matrimonii fructus.

7 Etiam circa ipsos deos vestros quae prospecte[e] decreverant patres vestri, iidem[f] vos obsequentissimi rescidistis. Libe-

[a] ita λ, *nam ne* cet. [b] ita λ, *penulam* (sine: *odium*) cet. [c] + a λ. [d] *diiudicarentur* λ. [e] *specte* λ. [f] idem AM.

[1] in quorum tergis flagra rumpuntur. Eam ob rem Plautus servos vocat plagipatidas et flagritribas. [2] Theatra caloris et frigoris arcendi causa velis tegebantur. [3] Lacedaemonii magis ad bella hieme gerenda quam ad ludos visendos penulas graves et prae pondere odiosas excogitaverunt. De corona 1: gravissimas penulas. [4] De cultu fem. II 12: quas (meretrices) si quae leges a maritalibus et matronalibus decoramentis coercebant, iam certe saeculi inprobitas cottidie insurgens honestissimis quibusque feminis usque ad errorem dinoscendi coaequavit. [5] Plin. nat. hist. XXXIII 1. [6] A Valerio Maximo VI 3, 9 et Plinio (nat. hist. XIV 13), ubi haec historia narratur, maritus vocatur Egnatius Mecenius; ita (*Mecenius*) etiam veteres editiones Tertulliani habent; in Servio ad Aen. I 738 libri variant inter: Metenius, Metennius, Mecennius, Mezentius. [7] halitu.

rum patrem cum mysteriis suis consules senatus auctoritate non modo urbe, sed universa Italia eliminaverunt[1]. 8 Serapidem et Isidem et Arpocratem cum suo cynocephalo[2] Capitolio prohibitos[a], id est curia deorum pulsos, Piso et Gabinius consules[3], non utique christiani, eversis etiam aris eorum abdicaverunt, turpium et otiosarum superstitionum vitia cohibentes. His vos restitutis summam maiestatem contulistis[4].

9 Ubi religio, ubi veneratio maioribus debita a vobis? Habitu victu instructu[5] sensu, ipso denique sermone proavis renuntiastis. Laudatis semper antiquos, sed[b] nove de die vivitis. Per quod ostenditur, dum a bonis maiorum institutis deceditis, ea vos retinere et custodire, quae non debuistis, cum quae debuistis non custodistis. 10 Ipsum[c] adhuc quod videmini fidelissime tueri a patribus traditum, in quo principaliter reos transgressionis christianos destinastis, studium dico deorum colendorum, de[d] quo maxime erravit antiquitas, licet Serapidi iam Romano aras restruxeritis, licet Baccho iam Italico furias vestras immoletis[e], suo loco ostendam, proinde despici et neglegi et destrui a vobis adversus maiorum auctoritatem. 11 Nunc enim ad illam occultorum facinorum infamiam respondebo, ut viam mihi[f] ad manifestiora purgem[6].

VII. *Christianos infanticidia et incesta facere fama est, quae neque umquam probata est neque probari potest.*

Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii et pabulo inde et post convivium incesto, quod eversores luminum canes,

[a] ita λ, > cet.; sed cfr. Ad nat. I 10 (p. 76, 3): *Arpocraten et Anubem prohibitos Capitolio Varro commemorat.* [b] ita λ, *antiquitatem et* cet. [c] ita λ o, > cet. [d] > GM. [e] ita λ Fo, *immolaretis* AM, *immolaritis* vel *immolaveritis* abcd. [f] *ut iam mihi* M.

[1] senatus consulto de Bacchanalibus anno 186 a. Chr.; cfr. Liv. XXXIX 8 ss. [2] i. e. cum deo Anubi. [3] anno 58 a. Chr. [4] Depulsis peregrinis illis numinibus novum templum a triumviris decretum est anno 43 a. Chr.; cfr. Cass. Dion. XLVII 15. [5] i. e. domestico adparatu. [6] cfr. c. 4, 1.

lenones scilicet tenebrarum, in[a] libidinum inpiarum verecundiam[b] procurent[1]. Dicimur tamen semper, nec vos quod tamdiu dicimur, eruere curatis. Ergo aut eruite, si creditis, aut nolite credere, qui non eruistis[c]. 2 De vestra vobis dissimulatione[2] praescribitur[3], non esse quod nec ipsi audetis eruere. Longe aliud munus carnifici in christianos imperatis, non ut dicant quae faciunt, sed ut negent quod sunt.

3 Census[4] istius disciplinae, ut iam edidimus, a Tiberio est. Cum odio sui coepit veritas; simul atque adparuit, inimica est. Tot hostes eius quot[d] extranei, et quidem proprie ex aemulatione Iudaei, ex concussione[5] milites, ex natura ipsi etiam[e] domestici nostri. 4 Cottidie obsidemur, cottidie prodimur, in ipsis etiam[f] plurimum coetibus et congregationibus nostris obprimimur. 5 Quis unquam taliter vagienti infanti supervenit? Quis cruenta, ut invenerat, Cyclopum et Sirenum ora iudici reservavit? Quis vel in uxoribus aliqua[g] inmunda vestigia deprehendit? Quis talia facinora, cum invenisset, celavit aut vendidit[6], ipsos trahens homines? Si semper latemus, quando proditum est quod admittimus?

6 Immo a quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis non

[a] ita λ, > cet. [b] ita λ, *inverecundiam* cet.; cfr. Ad nat. I 16 (p. 86, 5): *verum laudate consilium incesti verecundi.* [c] *eruitis* λ. [d] *tot* λ. [e] *etiam ipsi* λ. [f] ita λ, > cet. [g] *unquam* λ; sed cfr. Ad nat. I 7 (p. 69, 21): *inmunda aliqua.*

[1] Canes lumina evertendo tenebrasque inducendo verecundiae libidinum inpiarum quodammodo consulebant. [2] ex omissione inquisitionis. [3] *Praescribere* ex usu iurisconsultorum est: occurrere seu contradicere (Einwand machen). [4] Vocem *census* pro *origo* et *censeri* pro *originem ducere* innumeris locis apud Tert. deprehendes. [5] Concussio a iurisconsultis dicitur crimen, quo quis alterum inlicite terret intentanda accusatione gravioris criminis aut simulando iussa minasve magistratuum. [6] Quaesitores facinora vendere dicuntur, si pretio corrupti ea deprehensa non deferunt ad tribunalia.

utique, cum vel ex forma[1] omnium mysteriorum[a] silentii fides debeatur. Samothracia et Eleusinia reticentur, quanto magis talia, quae prodita interim[b] etiam humanam animadversionem provocabunt, dum divinitus servatur[c]? 7 Si ergo non ipsi[d] proditores sui, sequitur ut extranei. Et unde extraneis notitia, cum semper etiam piae[e] initiationes arceant profanos et[f] ab[g] arbitris caveant, nisi si[h] inpii minus metuunt?

8 Natura famae omnibus nota est. Vestrum est: *Fama malum, qua*[i] *non aliud velocius ullum*[2]. Cur malum fama? quia[k] velox, quia index, an quia plurimum mendax? Quae ne tunc quidem, cum aliquid veri defert[l], sine mendacii vitio est, detrahens adiciens demutans de veritate. 9 Quid, quod ea illi conditio est, ut non nisi cum mentitur, perseveret, et tamdiu vivit, quamdiu non probat. Siquidem ubi probavit, cessat esse et quasi officio nuntiandi functa rem tradit[m]; exinde res tenetur, res nominatur. 10 Nec quisquam dicit verbi gratia: *Hoc Romae aiunt factum*, aut: *Fama est illum provinciam sortitum;* sed: *Sortitus est ille provinciam*, et: *Hoc factum est Romae.*

11 Fama, nomen incerti, locum non habet ubi certum est. An vero[n] famae credat nisi[o] inconsideratus? quia sapiens[p] non credit incerto. Omnium est aestimare[3], quantacumque illa ambi-

a ita λ, *omnibus mysteriis* cet.; sed cfr. Ad nat. I 7 (68, 21): *cum vel ex forma ac lege omnium mysteriorum silentii fides debeatur.* b > λ. c ita ego, *divinitas servatur* λ, *divina servatur* o, *divina servantur* cet. d + *sunt* λ. e ita λ o, *inpiae* A et cet. f *etiam* λ. g ita λ, > cet. h > λ. i ita λ AMo et Verg., Aen. IV 174, *quo* cet. Etiam Ad nat. I 7 (67, 6) *quo* emendandum est in: *qua.* k *an quia* λ. l ita λ, *adfert* cet.; cfr. Ad nat. I 7 (67, 8): *cum vera defert.* m ita λ, + *et* cet.; cfr. Ad nat. l. l. (67, 13): '*functa decedit, exinde res tenetur.*' n > λ. o + *si* λ. p *qui sapiens est* λ; sed cfr. Ad nat. I 7 (67, 18): *quia sapiens non credit incerto.*

1 ex lege seu ratione. Scribendum est cum codice Fuldensi: *ex forma omnium mysteriorum*, quia locutio 'ex forma' semper a Tertulliano coniungitur cum genetivo vel adiectivo. 2 Verg., Aen. I 174. 3 Ab omnibus aestimari potest.

tione diffusa sit, quantacumque adseveratione constructa, quod[1] ab uno aliquando principe exorta sit necesse est. 12 Exinde in traduces[2] linguarum et aurium serpit, et ita modici seminis vitium cetera rumoris obscurat, ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacium seminaverit, quod saepe fit aut ingenio aemulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non nova, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate.

13 Bene autem quod omnia tempus revelat[3], testibus etiam vestris proverbiis atque sententiis, ex dispositione[a] naturae, quae ita ordinavit, ut nihil diu lateat, etiam quod fama non distulit[4]. Merito igitur fama tamdiu conscia sola est scelerum christianorum[b]. Hanc indicem adversus nos profertis, quae quod aliquando iactavit tantoque[c] spatio in opinionem conroboravit, usque adhuc probare non valuit.

VIII. *Flagitia, quibus christiani infamantur, prorsus sunt incredibilia.*

Ut fidem naturae ipsius adpellem adversus eos, qui talia credenda esse praesumunt, ecce proponimus horum facinorum mercedem: vitam aeternam repromittunt[5]. Credite interim. De hoc enim quaero, an et qui credideris tanti habeas[d], ad eam tali conscientia pervenire? 2 Veni, demerge ferrum in infantem nullius inimicum, nullius reum, omnium filium[6], vel si alterius officium est, tu modo adsiste morienti homini, antequam vixit; fugientem animam novam exspecta, excipe rudem sanguinem,

[a] + *divinae λ.* [b] + *quod dicitur semper* ⟨supple: non⟩ *est quia quod est desinit dici λ.* [c] + *temporis λ.* [d] *crediderit tanti habeat λ.*

[1] Coniunctio *quod* cum coniunctivo vel, id quod rarius invenitur, cum indicativo saepius a Tert. posita est pro acc. c. inf. [2] *Traduc* (i. e. translatio seu rivus) vocabulum usitatissimum est Tertulliano. [3] Gellius noct. Att. XII 11, 6) Sophoclis hos versus laudat: *Πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδέν, ὡς ἅπανθ' ὁρῶν | καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.* [4] disseminavit. [5] Subiectum est: haec facinora. [6] omnium benevolentia dignum.

eo panem tuum satia, vescere libenter. 3 Interea discumbens dinumera loca, ubi mater, ubi soror; nota diligenter, ut cum tenebrae ceciderint caninae, non erres. Piaculum enim admiseris[a], nisi incestum feceris.

4 Talia initiatus et consignatus[1] vivis in aevum. Cupio respondeas, si tanti aeternitas; aut si non, ideo nec credenda[2]. Etiamsi credideris, nego te velle; etiamsi volueris, nego te posse. Cur ergo alii possint, si vos non potestis? cur non possitis, si alii possunt? 5 Alia nos[b], opinor, natura, cynopennae[c 3] aut sciapodes[4]; alii ordines dentium, alii ad incestam libidinem nervi! Qui ista credis de homine, potes et facere; homo es et ipse, quod et christianus. Qui non potes facere, non debes credere. Homo est enim et christianus[d], quod et tu.

6 Sed ignorantibus subicitur et inponitur[5]. Nihil enim tale de christianis adseverari sciebant, observandum utique sibi et omni vigilantia investigandum. 7 Atquin[6] volentibus initiari moris est, opinor, prius patrem illum sacrorum[7] adire, quae praeparanda sint discribere[e]. Tum ille: 'Infans tibi necessarius,

[a] *feceris* λ. [b] *alii nos* λ. [c] *cynopenae* λ, *cynopaene* Do. [d] + *et* ABMo. [e] ita AM, *describere* cet.

[1] Adv. Val. 1: 'Idcirco et aditum prius cruciant; diutius initiant, antequam consignant.' [2] i. e. facinora, quae christianis obiciuntur. [3] Ita codices habent plurimi et optimi. Cynopennae iidem esse videntur, qui cynocephali; cfr. Plin. nat. h. VII 2 (23): in multis autem montibus genus hominum capitibus caninis ferarum pellibus velari. Aug. de civ. dei XVI 8: Quid dicam de cynocephalis, quorum canina capita atque ipse latratus magis bestias quam homines confitetur? [4] Plin. l. l.: eosdem sciapodas vocari, quod in maiori aestu humi iacentes resupini umbra se pedum protegant. Hesychius lexic.: *Σκιάποδες οἱ ἐν Λιβύῃ πλατεῖς ἔχουσι τοὺς πόδας καὶ ποιοῦσι σκιὰν αὐτοῖς ἐν τῷ καύματι.* [5] Sensus est: Ignorantibus nefanda illa scelera non inponuntur, quia, quae de christianis feruntur, omnibus nota sunt. [6] attamen. [7] Ad nat. I 7 (69, 29): 'Sine dubio enim initiari volentibus mos est prius ad magistrum sacrorum vel patrem adire.' Inprimis hierophanta, qui initiandis praeerat in mysteriis Mithrae, vocabatur pater sacrorum; cfr. Orelli inscr. I nr. 2354.

adhuc tener, qui nesciat mortem, qui sub cultro tuo rideat; item panis, quo sanguinis iurulentiam[a] conligas; praeterea candelabra et lucernae et canes aliqui et offulae, quae illos ad eversionem luminum extendant[1]. Ante omnia cum matre et sorore tua venire debebis'. 8 Quid si[b] noluerint vel nullae fuerint? quot[c] denique[d] singulares christiani? Non eris[e], opinor, legitimus christianus nisi frater aut filius. Quid nunc, et si ista omnia ignaris praeparantur? Certe postea cognoscunt et sustinent et ignoscunt 9 Timent plecti, si proclamant! qui defendi merebuntur[2], qui etiam ultro perire malint[f], quam sub tali conscientia vivere. Age nunc, timeant; cur etiam perseverant? Sequitur enim, ne ultra velis id te esse, quod si prius scisses, non fuisses.

IX. *Apud gentes infanticidia, incestus aliaque maleficia inveniuntur, cum christiani etiam a sanguine animalium abhorreant et multi eorum senes in castitate pueri esse permaneant.*

Haec quo[g] magis refutaverim, a vobis fieri ostendam partim in aperto, partim in occulto, per quod forsitan et de nobis credidistis. 2 Infantes penes Africam Saturno immolabantur[3] palam usque ad proconsulatum Tiberii, qui ipsos[h] sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum votivis[4] crucibus

[a] ita λ A, *virulentiam* BDEFGMo. [b] + *venire* λ. [c] ita ego, *quod* ADEGM Erfurt., *quid* (λ) B Vindob. T. [d] + *sine pignore* λ. [e] ita λ, *erit* cet.; cfr. Ad nat. I 7 (70, 6): *opinor legitimus christianus esse non poteris.* [f] *malunt* λ. [g] *quoque* ADEGM Erfurt. Vindob. [h] ita λ, *eosdem* cet.

[1] proripiant. [2] Sensus est: Neve quis dicat: 'Initiandi timent, ne plectantur, si proclament'; nam si paululum proclamarent, nemo iis non opitularetur, ac si timerent, in christiana religione non permanerent. [3] Humana sacrificia Saturno facta esse multi ex veteribus tradiderunt, ex. gr. Diod. Sic. XIII 86; Min. Felix, Oct. 30; Prudentius c. Symm. II 296 ss.; Aug. de civ. dei VII 19. [4] Fuisse circa templa arbores sacras, quibus anathemata suspenderentur, nota res est.

vivos[a] exposuit, teste militia patris nostri[b], quae id ipsum munus illi proconsuli functa est[1]. 3 Sed et nunc in occulto perseveratur hoc sacrum facinus. Non soli vos contemnunt christiani, nec ullum facinus[c] in perpetuum eradicatur, aut mores suos aliqui[d] deus mutat. 4 Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverabat[e], quos quidem ipsi parentes sui offerebant, et libentes respondebant[2] et infantibus blandiebantur, ne lacrimantes immolarentur[3]. Et tamen multum homicidio parricidium differt[4].

5 Maior aetas apud Gallos Mercurio prosecabatur[f 5]. Remitto fabulas Tauricas theatris suis[6]. Ecce[g] in illa religiosissima urbe Aeneadarum[7] piorum est Iuppiter quidam[8], quem ludis suis humano sanguine proluunt. Sed bestiarii[9], inquitis. Hoc, opinor, minus quam hominis? An hoc turpius, quod mali hominis?

[a] ita λ, > cet. [b] ita λ, *patriae nostrae* cet. [c] ita λ, *scelus* cet. [d] *aliquis* λ. [e] *perseverasset sed* λ. [f] ita λ, *prosecatur* cet. [g] *sed et* λ.

[1] Haec sententia viros doctos admodum agitavit, qui omnes fere rem narratam ad imperatorem Tiberium rettulerunt, qua tamen ratione nodum solvere non potuerunt; quid enim est: *usque ad proconsulatum Tiberii?* quid: *teste militia patriae nostrae?* Solus codex Fuldensis nobis lectionem servavit *patris nostri* pro *patriae nostrae*, quo indicio nodum expedire licet. Loquitur enim Tertullianus de Tiberio quodam proconsule Africae, cui pater suus munere militari functus sit; pater enim Tertulliani centurio fuit (Hieron. de vir. inl. 53). Quo vero tempore Tiberius ille provinciam rexerit et qui vir fuerit, non liquet. [2] sponsionem faciebant sive sponsione se obligabant. [3] Hoc enim nefas erat. [4] Parentes, qui filios Saturno immolabant, parricidium perpetrabant; christiani homicidium solum facere dicebantur. [5] Min. Fel., Oct. 30; Aug. de civ. dei VII 19; Suet., Claud. 25: Druidarum religionem apud Gallos dirae immanitatis et tantum civibus sub Augusto interdictam penitus abolevit. [6] s. Athanasius c. gentes 21: *Σκύθαι γὰρ οἱ καλούμενοι Ταύριοι τῇ παρ' αὐτοῖς παρθένῳ καλουμένῃ τοὺς ἀπὸ ναναγίων καὶ ὅσους ἂν λάβωσι τῶν Ἑλλήνων εἰς θυσίαν ἀναφέρουσιν.* [7] Romae. [8] Iuppiter Latiaris, cuius de festo die, qui in monte Albano agebatur, et sacris vide Preller, Röm. Mythologie (ed. 3., curavit Iordan), Berol. 1881, II 215 ss. [9] damnati ad bestias, ut cum iis depugnarent.

certe tamen de homicidio funditur. O Iovem christianum et solum patris filium de crudelitate[1]!

6 Sed quoniam de infanticidio nihil interest, sacro an arbitrio patretur[a 2], licet de parricidio[b] intersit, convertar ad populum. Quot vultis ex his circumstantibus et in christianorum sanguinem hiantibus[c], ex ipsis etiam vobis iustissimis et severissimis in nos praesidibus apud conscientias pulsem, qui natos sibi liberos enecent? 7 Siquidem et de genere necis differt[d]; utique crudelius in aqua spiritum extorquetis[e], aut frigori et fami et canibus exponitis[f]; ferro enim mori aetas quoque maior optaverit. 8 Nobis vero semel[3] homicidio interdicto etiam conceptum utero[g], dum adhuc sanguis in hominem delibatur[4], dissolvere[5] non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci, nec refert, natam quis eripiat animam an nascentem disturbet. Homo est et qui est futurus; etiam fructus omnis iam in semine est.

9 De sanguinis pabulo et eiusmodi tragicis ferculis[h] legite, necubi[6] relatum sit — apud[i] Herodotum[7], opinor — defusum brachiis sanguinem et[k] alterutro degustatum nationes quasdam

[a] ita λ, *perpetretur* cet. [b] ita λ, *licet parricidium de homicidio* cet. [c] *inhiantibus* λ; sed cfr. infra: *humanis membris inhiant* et: *humano* (sanguini) *inhiare*. [d] *si quid et de necis genere differt* λ. [e] *torquetis* λ; cfr. Isidorum etym. V 27, 35: *in aqua spiritum torquente exstingui*. [f] *aut fami aut canibus exponentes* λ. [g] *uterum* λ. [h] *fabulas* λ. [i] ita λ, *est apud* cet. [k] ita λ, *ex* cet.

[1] Iovem dicit ironice christianum, quia aeque ac Christus humanis sacrificiis gaudeat, natus patre non dissimili Saturno, qui omnes filios praeter unum Iovem crudeliter devoravit. [2] Sensus est: Transeamus ad ea infanticidia, quae gentiles non religionis causa, sed pro arbitrio aut fastidio faciunt. [3] nostrum: ein für allemal. [4] Glossarium vetus apud Angelum Maium, Class. auct. VI, Romae 1834, 520: *Delibat, sanguinem detrahit.* Sanguis igitur delibatur, si detrahitur vel derivatur a ceteris corporis partibus ad alendum uteri fetum. [5] Min. Felix, Oct. 30: Sunt, quae in ipsis visceribus *medicaminibus epotis* originem futuri hominis exstinguant et parricidium faciant, antequam pariant. [6] ne alicubi. [7] Herod. IV 70.

foederi comparasse. Nescio quid et sub Catilina tale[a] degustatum est[1]. Aiunt et apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemque a suis comedi[2]. 10 Longe excurro. Hodie istic Bellonae sacratos[b] sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus et[c] esui[d] datus signat[3]. Item illi, qui munere in arena noxiorum iugulatorum[e] sanguinem recentem, de iugulo decurrentem[f], avida siti comitiali morbo medentes hauserunt[g4], ubi sunt[5]? 11 Item illi, qui de arena ferinis absoniis cenant, qui de apro, qui de cervo petunt? Aper ille quem cruentavit, conluctando detersit; cervus ille in gladiatoris sanguine iacuit[h]. Ipsorum ursorum alvei adpetuntur cruditantes adhuc de visceribus humanis; ructatur[i] ab homine caro pasta de homine. 12 Haec qui editis, quantum abestis a conviviis christianorum! Minus autem et illi faciunt, qui libidine fera humanis membris inhiant, quia vivos vorant[6]? minus humano sanguine ad spurcitiam consecrantur, quia futurum sanguinem lambunt? non edunt infantes plane, sed magis puberes.

13 Erubescat error vester christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea suffocatis quoque et morticinis abstinemus, ne quo modo sanguine

[a] ita λ, $>$ cet. [b] ita o, *secator* λ, *sacratus* ST. [c] ita λ, $>$ cet. [d] *usui* λ. [e] *rigulatorum* λ. [f] ita λ, + *exceptum* cet. [g] ita λ S, *auferunt* o et abc. [h] *sanguinem iactavit* λ. [i] ita λ, + *proinde* cet.

[1] Sallust., Cat. 22. [2] Strabo XI p. 513; Herod. IV 106; Plin. nat. h. VII 2. [3] De fanaticis Bellonariis, i. e. Bellonae asiaticae sacerdotibus, qui se ipsi vulnerabant et quorum sanguinem vulgus in palmulam excipiebat et expiationis causa potabat, vide Preller l. l. II 386 s. [4] Plinius nat h. XXVIII 1 (2): Sanguinem quoque gladiatorum bibunt ut viventibus poculis comitiales morbi, quod spectare facientes in eadem arena feras quoque horror est; at Hercule illi ex homine ipso sorbere efficacissimum putant calidum spirantemque et vivam ipsam animam ex osculo vulnerum, cum plagis ne ferarum quidem admoveri ora fas sit. [5] i. e. nonne ex vobis sunt? [6] Min. Felix, Oct. 28: qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhaerescunt.

contaminemur vel intra viscera sepulto[1]. 14 Denique[2] inter temptamenta[a] christianorum botulos[3] etiam cruore distentos admovetis, certissimi scilicet, inlicitum esse penes illos per quod exorbitare eos vultis. Porro quale est, ut quos sanguinem pecoris[b] horrere confiditis, humano inhiare credatis, nisi forte suaviorem eum experti[c]? 15 Quem quidem[d] et ipsum proinde examinatorem christianorum adhiberi oportebat, ut foculum, ut acerram[4]. Proinde enim probarentur sanguinem humanum adpetendo, quemadmodum[e] sacrificium respuendo; alioquin negandi[f], si non gustassent, quemadmodum si immolassent. Et utique non deesset vobis in auditione custodiarum et damnatione sanguis humanus[5].

16 Proinde incesti qui magis quam quos ipse Iuppiter docuit[6]? Persas cum suis matribus misceri Ctesias refert. Sed et Macedones suspecti, quia, cum primum *Oedipum* tragoediam audissent, ridentes incesti dolorem: *Ἤλαυνε*, dicebant, *εἰς τὴν μητέρα*[g 7]. 17 Iam nunc[h] recogitate, quantum liceat erroribus[i]

[a] *in tormenta λ.* [b] *pecudis λ.* [c] + *estis λ.* [d] *quid λ.* [e] *christiani qui λ.* [f] *necandi λ.* [g] *ελαγγαε aiebant μετεραν λ*; sed cfr. Ad nat. I 16 (86, 23): *ἤλαυνε dicebat εἰς τὴν ματέρα.* [h] *age iam λ.* [i] + *vestris λ.*

[1] Act. 15, 20. Aetate igitur Tertulliani etiam Africani christiani sanguine abstinebant. [2] exempli gratia. [3] Botuli sunt intestina carne et sanguine farta (Würste). [4] Acerra offerebatur christianis, ut inde thus sumerent, quod in foculum inicerent. [5] Satis sanguinis vobis praesto est ex suppliciis reorum, qui in custodia fuerunt. [6] qui matrem et filiam constupravit et sororem in matrimonium duxit. [7] Incerta scriptura, incerta interpretatio! Librorum manuscriptorum maior pars *ἐλαύνειν* verbum tuetur et praepositionem *εἰς*; praeterea *ἤλαυνε εἰς τὴν ματέρα* in codice Agobardino et Reifferscheidii editione Ad nat. I 16 legitur, ubi Tertullianus rem plenius ita enarrat: 'Macedones . . . cum primum scenam eorum Oedipus intravit trucidatus oculos, risu ac derisu exceperunt. Tragoedus consternatus retracta persona: Numquid ait, domini, displicui vobis? Responderunt Marcedones: Immo tu quidem pulchre, at scriptor vanissimus si finxit, aut Oedipus dementissimus si ita fecit. Atque exinde alter ad alterum: *ἤλαυνε* dicebat *εἰς τὴν ματέρα.*' Haec verba graeca Oehler vertit: 'descendebat ad matrem usque' et ita explicat: 'Hoc scilicet dicto probarunt Macedones incesti quidem eiusmodi dolore sese haud

ad incesta miscenda, subpeditante materias[a] passivitate luxuriae[1]. Inprimis filios exponitis suscipiendos ab aliqua praetereunte misericordia[2] extranea, vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis[3]. Alienati generis necesse est quandoque memoriam dispergi[b 4]. Et simul error inpegerit, exinde iam tradux proficiet incesti serpente genere cum scelere. 18 Tunc deinde quocumque in loco, domi peregre trans freta, comes est libido, cuius[c] ubique[5] saltus facile possunt alicubi ignaris filios pangere vel ex aliqua seminis portione, uti adspersum[d] genus per commercia humana concurrat[e] in memorias suas[6], neque[f] eas caecus[7] incesti sanguinis agnoscat.

19 Nos ab isto eventu diligentissima et fidelissima castitas sepsit, quantumque ab stupris et ab omni post matrimonium excessu, tantum et ab incesti casu tuti sumus. Quidam multo securiores totam vim huius erroris virgine[8] continentia depellunt, senes pueri[9]. 20 Haec[10] in vobis esse si consideraretis, proinde in christianis non esse perspiceretis. Idem oculi renuntiassent utrumque. Sed caecitatis duae species facile concurrunt, ut qui non vident quae sunt, videre videantur quae non sunt. Sic per omnia ostendam. Nunc de manifestis[g] dicam.

[a] *materia λ.* [b] ita ego, *disperci λ, dissipari* cet. [c] *cuiusque λ.* [d] ita ST, *ut ita spersum λ, ut ita sparsum* o. [e] *concurrit λ.* [f] *ne quis λ.* [g] ita *λ, manifestioribus* cet.; cfr. c. 4, 2: *quae in occulto . . . quae palam.*

magnopere commoveri, utpote levioris peccati, certe non tanti, ut, qui commiserit, oculos sibi effodiendi iustam causam haberet.' In codice Fuldensi legitur: „ελαγγαε aiebant μετεραν", quod fortasse ita emendandum est: ἐλάγχανε τὴν μητέρα i. e. incidit in matrem.

[1] *Passivitas*, quod vocabulum apud Tert. frequenter occurrit, idem est ac usus promiscuus. [2] Lact. inst. div. VI 20: Quid illi, quos falsa pietas cogit exponere? . . . Quis dubitet, quin inpius sit, qui alienae misericordiae locum tribuit? [3] e manu dimittitis. [4] Min. Felix, Oct. 31. [5] Hoc adverbium cum substantivo *saltus* coniungendum est, ut c. 17: *iterum christianus.* [6] in origines suas. [7] ignarus. [8] virginea; cfr. Adv. Valent. 5: ut Proculus noster, virginis senectae et christianae eloquentiae dignitas. [9] viri in senectute casti tamquam pueri. [10] i. e. crimina.

X. *Deos gentilium christiani non colunt, quia olim, ut monumenta vetera testantur, dii illi homines fuere.*

Deos, inquitis, non colitis et pro imperatoribus sacrificia non penditis. Sequitur, ut eadem ratione pro aliis non sacrificemus, qua[a] nec pro nobis ipsis, semel deos non colendo. Itaque sacrilegii et maiestatis rei convenimur[1]. Summa haec causa, immo tota est, et utique digna cognosci, si non praesumptio aut iniquitas iudicet, altera quae desperat, altera quae recusat veritatem.

2 Deos vestros colere desinimus[b], ex quo illos non esse cognoscimus. Hoc igitur exigere debetis, uti probemus, non esse illos deos et idcirco non colendos, quia tunc demum coli debuissent, si dei fuissent. Tunc et christiani puniendi, si quos[c] non colerent, quia putarent non esse, constaret, illos deos esse[d]. 3 Sed nobis[e], inquitis, dei sunt. Adpellamus et provocamus a vobis[f] ad conscientiam vestram; illa nos iudicet, illa nos damnet[g], si poterit negare, omnes istos deos vestros homines fuisse[2]. 4 Si et ipsa inficias ierit, de suis antiquitatum instrumentis revincetur, de quibus eos didicit, testimonium perhibentibus ad hodiernum et civitatibus, in quibus nati sunt, et regionibus, in quibus aliquid operati vestigia reliquerunt, in quibus etiam sepulti demonstrantur.

[a] ita van der Vliet, *quia* cet. [b] + *et statim cognovimus λ.*
[c] *eos λ.* [d] *putarent non esse quos constaret esse λ.*
[e] *sed apud nos λ.* [f] + *ipsis λ.* [g] *illa condemnet λ.*

[1] Iam transit Tert. ad ea maleficia, quae christiani palam committere dicebantur; quia enim diis neque pro se neque pro imperatoribus sacrificabant, sacrilegii et maiestatis insimulabantur. [2] Hanc sententiam, qua deos homines seu reges antiquissimos fuisse censebant, primus apud veteres defendit Euhemerus Messenae natus libro *Ἱερὰ ἀναγραφή* anno circiter 300 a. Chr. scripto. Ut Tertullianus, ita eandem sententiam carpunt Athenagoras suppl. 26, Theophilus ad Aut. II 34, Apollonius martyr (Acta graeca 22), Prudentius c. Symm. II 347.

5 Nunc ergo per singulos decurram, tot ac tantos novos veteres, barbaros Graecos, Romanos peregrinos, captivos adoptivos, proprios communes, masculos feminas, rusticos urbanos, nauticos militares? Otiosum est[a] etiam titulos persequi; ut conligam in compendium, et hoc non quo cognoscatis, sed[b] recognoscatis; certe[c] enim oblitos agitis. 6 Ante Saturnum deus penes vos nemo est; ab illo census[1] totius vel potioris et notioris divinitatis. Itaque quod de origine constiterit, id et de posteritate conveniet. 7 Saturnum itaque, si quantum litterae[d], neque Diodorus Graecus aut Thallus[2], neque Cassius Severus[3] aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator eiusmodi antiquitatum aliud quam hominem promulgaverunt; si quantum rerum argumenta, nusquam invenio fideliora, quam apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones postque Attica hospitia consedit, exceptus ab[e] Iano, vel Iane, ut Salii volunt. 8 Mons, quem incoluerat, Saturnius dictus, civitas, quam depalaverat[4], Saturnia usque nunc est; tota denique Italia post Oenotriam[5] Saturnia cognominabatur. Ab ipso primum tabulae et imagine[f] signatus nummus, et inde aerario praesidet[6]. 9 Tamen si homo Saturnus, utique ex homine; et quia ab homine, non utique de[g] caelo et terra. Sed cuius parentes ignoti erant, facile fuit eorum filium dici, quorum et omnes possumus videri. Quis enim non

a + *enim* λ. b + *ut* λ. c *certi* λ. d ita λ, + *docent* cet. e ita A (λ) et Ad nat. II 12 (119, 14); Oehler habet *a*. f + *et* λ. g *e* λ.

1 origo. 2 Thallus Samaritanus Tiberii fere aetate tres libros chronicorum scripsit, qui perierunt. 3 Lapsu memoriae Tertullianus Cassium Severum oratorem, qui Augusti temporibus floruit, pro Cassio Hemina memorasse videtur, qui fuit *vetustissimus auctor annalium* (Plin. nat. h. XIII 84); scripsit enim saeculo a. Chr. altero Annales, in quibus historiam Romanam a primis temporibus usque ad suam aetatem narravit. 4 palis cinxerat, seu cuius terminos palis defixis constituerat. 5 Breviloquentia est pro: postquam antea Oenotria dicta est. 6 Macrobius sat. 1 7, 22: 'cum (Saturnus) primus quoque aera signaret etc.' Aerarium Romae in aede Saturni fuisse notum est.

caelum ac[a] terram matrem ac[a] patrem venerationis et honoris gratia adpellet, vel ex consuetudine humana, qua ignoti vel ex inopinato adparentes de caelo supervenisse dicuntur? 10 Proinde Saturno repentino ubique caelitem contigit dici; nam et terrae filios vulgus vocat, quorum genus incertum[b] est[1]. Taceo quod ita rudes tunc[c] homines agebant, ut cuiuslibet novi viri adspectu quasi divino commoverentur, cum hodie iam politi, quos ante paucos dies luctu publico humatos[d] mortuos sint confessi[2], in deos consecrent. 11 Satis iam de Saturno, licet paucis. Etiam Iovem ostendemus tam hominem quam ex homine, et deinceps totum generis[e] examen tam mortale quam seminis sui par[3].

XI. *Causa, cur a deo summo aliqui ex hominibus facti sint dii, nulla inveniri potest.*

Sed[f] quoniam, sicut illos homines fuisse non audetis negare, ita post mortem deos factos instituistis adseverare, causas, quae hoc exegerint, retractemus. 2 Inprimis quidem necesse est concedatis, esse aliquem sublimiorem deum et mancipem[4] quendam divinitatis, qui ex hominibus deos fecerit. Nam neque sibi illi sumere potuissent divinitatem, quam non habebant, nec alius praestare eam non habentibus, nisi qui proprie possidebat. 3 Ceterum si nemo esset[g], qui deos faceret, frustra praesumitis deos factos, auferendo factorem. Certe quidem si ipsi se facere

[a] *aut . . . aut* λ; sed cfr. Ad nat. I. I. (22). [b] *incerto* λ. [c] ita λ et Ad nat. I. I. (120, 4): *ita rudes tunc; adhuc* cet. [d] ita λ, > cet. [e] + *ipsius* λ. [f] ita λ, > A, *et* cet. [g] *est* λ.

[1] Servius ad Georg. I 9: Achelous terrae fuisse filius dicitur, ut solet de his dici, quorum per antiquitatem latent parentes. [2] i. e. imperatores, quos publico luctu humaverunt et ita mortuos esse confessi sunt. [3] quam auctoris sui simile. [4] Mancipes erant principes publicanorum vel redemptores (Asconius in Div. Verr c. 10); commemorantur mancipes viarum, salinarum, alii. Manceps igitur divinitatis est magnarius quidam divinitatis negotiator; cfr. De idol. 1: idolorum mancipes; De spect. 10: mancipes ludorum.

potuissent, nunquam homines fuissent, possidentes scilicet[a] conditionis melioris potestatem.

4 Igitur si est qui faciat deos, revertor ad causas examinandas faciendorum ex hominibus deorum, nec ullas invenio, nisi si ministeria et auxilia officiis divinis desideravit ille magnus deus. Primo indignum est, ut alicuius opera indigeret, et quidem mortui, cum dignius ab initio deum aliquem fecisset, qui mortui erat operam desideraturus. 5 Sed nec operae locum video. Totum enim hoc mundi corpus sive innatum et infectum secundum Pythagoram, sive natum factumve secundum Platonem[2], semel utique in ista constructione[b] dispositum et instructum et ordinatum cum omni[c] rationis gubernaculo inventum est. Inperfectum non potuit esse, quod perfecit omnia. 6 Nihil Saturnum et Saturniam gentem exspectabat. Vani erunt homines, nisi certi sint, a primordio et pluvias de caelo ruisse et sidera radiasse et lumina floruisse[3] et tonitrua mugisse et ipsum Iovem quae in manu eius inponitis fulmina timuisse; item omnem frugem ante Liberum et Cererem et Minervam[2], immo ante illum aliquem principem hominem[d] de terra exuberasse, quia nihil condendo[e] et sustinendo homini prospectum post hominem potuit inferri[f]. 7 Denique invenisse dicuntur necessaria ista vitae, non instituisse. Quod autem invenitur, fuit, et quod fuit, non eius deputabitur qui invenit, sed eius qui instituit; erat enim antequam inveniretur. 8 Ceterum si propterea Liber deus, quod vitem demonstravit, male cum Lucullo actum est, qui primus

a + *apud se* λ. b *in ipsa conceptione* λ. c *omnis* λ.
d *hominum* λ. e ita λ, *continendo* cet. f *inveniri* λ.

1 Cicero, Tusc. I 28, 70: Haec igitur et alia innumerabilia cum cernimus, possumusne dubitare, quin iis praesit aliquis vel effector, si haec nata sunt, ut Platoni videtur, vel si semper fuerunt, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris? Idem, Acad. pr. II 37, 118: Pythagorei ex numeris et mathematicorum initiis proficisci volunt omnia. 2 De pat. 2: qui florem lucis huius super iustos et iniustos pariter spargit. 3 Hi dii sunt vitis frumenti oleae inventores.

cerasia[a] [1] ex Ponto Italiae promulgavit[b], quod non est propterea consecratus ut frugis novae auctor, quia[c] ostensor. 9 Quamobrem si ab initio et instructa et certis exercendorum officiorum suorum rationibus dispensata universitas constitit, vacat ex hac parte causa adlegendae humanitatis in divinitatem, quia quas illis stationes et potestates distribuistis, tam fuerunt ab initio quam et fuissent, etiamsi deos istos non creassetis.

10 Sed convertimini ad causam aliam, respondentes, conlationem divinitatis meritorum remunerandorum fuisse rationem. Et hinc conceditis, opinor, illum deum deificum iustitia praecellere, qui[d] non temere nec indigne nec prodige tantum praemium dispensarit. 11 Volo igitur merita recensere, an eiusmodi sint, ut illos in caelum extulerint et non potius in imum tartarum merserint[e], quem carcerem poenarum infernarum, cum vultis, adfirmatis [2]. 12 Illuc enim abstrudi solent inpii quique in parentes et incesti in sorores et maritarum adulteri et virginum raptores et puerorum contaminatores et qui saeviunt, et qui occidunt, et qui furantur, et qui decipiunt, et quicunque similes sunt alicuius dei vestri, quem neminem integrum a crimine aut vitio probare poteritis, nisi hominem negaveritis.

13 Atquin ut homines illos fuisse non potestis[f] negare[3], etiam istae notae accedunt, quae nec deos postea factos credi permittunt. Si enim vos talibus puniendis praesidetis, si commercium, conloquium, convictum malorum et turpium probi quique respuitis, horum autem pares deus ille maiestatis suae con-

[a] *cerasa Romanis λ.* [b] Ad nat. II I6 (129, 9): *cerasium Cn. Pompeius de Ponto primus Italiae provolgavit.* [c] *qui* o. [d] *quod λ.* [e] *demerserint λ.* [f] ita *λ*, *possitis* cet.

[1] Gloss. vetus apud A. Mai., Auct. class. VI 515: *cerasia, poma cerasi.* Plin. nat. h. XV 25: 'Cerasi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia ad urbis annum 680; is primum vexit e Ponto.' [2] Suo arbitrio gentiles modo negarunt poenas inferorum, modo metuentes adfirmaverunt [3] Scribendum est cum codice Fuldensi: *potestis negare;* cfr. c. 11 init. Sensus est: Ut illos homines postea deos factos esse non potest negari, ita quas exposui causae homines post mortem deos factos credi vetant.

sortio adscivit, quid ergo damnatis, quorum conlegas adoratis? 14 Suggillatio est in caelum[a] vestra iustitia. Deos facite criminosissimos quosque, ut placeatis deis vestris. Illorum est honor consecratio coaequalium.

15 Sed ut omittam huius indignitatis retractatum, probi et integri et boni fuerint, quot tamen potiores viros apud inferos reliquistis? aliquem[1] de sapientia Socratem, de iustitia Aristiden, de militia Themistoclem, de sublimitate Alexandrum, de felicitate Polycratem, de copia Croesum, de eloquentia Demosthenen. 16 Quis ex illis deis vestris gravior et sapientior Catone, iustior et militarior Scipione? quis sublimior Pompeio, felicior Sylla, copiosior Crasso, eloquentior Tullio? Quanto dignius istos deos ille adsumendos exspectasset, praescius utique potiorum? Properavit, opinor, et caelum semel clusit et nunc utique melioribus apud inferos mussitantibus erubescit.

XII. *Simulacra deorum sunt materiae vasculorum instrumentorumque communium, quae neque iniurias neque obsequia sentiunt.*

Cesso iam de isto, ut qui sciam, me ex ipsa veritate demonstraturum, quid non sint, cum ostendero, quid sint. Quantum igitur de deis vestris[b], nomina solummodo video[c] quorundam veterum mortuorum et fabulas audio et sacra de fabulis recognosco. 2 Quantum autem de simulacris ipsis, nihil aliud[d] reprehendo[e], quam materias sorores[f] 2 vasculorum instrumentorumque communium, vel ex isdem vasculis et instrumentis quasi

[a] ita λ, *caelo* cet. [b] *istis* λ. [c] + *statuas* λ. [d] *amplius* λ. [e] *deprehendo* λ, sed cfr. c. 19, 4. [f] ita λ, + *esse* cet.

[1] Pronomen *aliquis* saepe a Tert. nominibus propriis per emphasin additur; cfr. c. 12, 6: *iidem estis, qui Senecam aliquem* squ. [2] Idem omnino de simulacris deorum iudicavit Philo (De vita contemplativa p. 610, al. p. 890): *ὧν τὰ ἀδελφὰ μέρη καὶ συγγενῆ λουτροφόροι γεγόνασι καὶ ποδόνιπτρα καὶ ἄλλα ἄττα τῶν ἀτιμωτέρων ἃ πρὸς τὰς ἐν σκότῳ χρείας ὑπηρετεῖ μᾶλλον ἢ τὰς ἐν φωτί.*

fatum[a] consecratione mutantes[1], licentia artis transfigurante, et quidem contumeliosissime et in ipso opere sacrilege, ut[b] revera nobis maxime, qui propter ipsos deos plectimur, solatium poenarum esse possit, quod eadem et ipsi patiuntur, ut fiant.

3 Crucibus et stipitibus inponitis christianos. Quod simulacrum non prius argilla deformat cruci et stipiti superstructa? in patibulo primum corpus dei vestri dedicatur[2]. 4 Ungulis deraditis[c] latera christianorum. At in deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciae et runcinae et scobinae[3]. Cervices ponimus. Ante plumbum et glutinum et gomphos sine capite sunt dei vestri[4]. Ad bestias inpellimur. Certe quas Libero et Cybele et Caelesti adplicatis[5]. 5 Ignibus urimur. Hoc et illi a prima quidem massa. In metalla damnamur. Inde censentur[6] dei vestri. In insulis[d] relegamur[e]. Solet et in insula aliqui deus vester aut nasci aut mori. Si per haec constat divinitas aliqua, ergo, qui puniuntur, consecrantur et numina erunt dicenda supplicia.

[a] *factum* λ. [b] *et* λ. [c] *eraditis* λ. [d] *insulas* λ, sed cfr. Hoppe syntax p. 40 s. [e] *religamur* ABE.

[1] Iust. ap. I 9, 2: *καὶ ἐξ ἀτίμων πολλάκις σκευῶν διὰ τέχνης τὸ σχῆμα μόνον ἀλλάξαντες καὶ μορφοποιήσαντες θεοὺς ἐπονομάζουσιν.* Min. Felix, Oct. 23; Arnobius adv. nat. VI 14: Simulacra ista, quae nos terrent quaeque templis in omnibus prostrati atque humiles adoratis, ossa lapides aera sunt, argentum aurum testa, lignum sumptum ex arbore aut commixtum glutinum gypso, ornatibus fortasse meretriciis aut ex muliebri mundo, . . . aut ex aliis obscoenioribus vasculis congesta, conflata in has species ducta sunt. [2] Festus (s. v. stipatores): 'stipam, qua amphorae, cum exstruuntur, firmari solent.' Stipes est crux seu patibulum, cui argillam inponunt plastae, cum simulacra formant. [3] ascia (Axt), runcina (Hobel), scobina (Raspel). [4] Sensus est: 'Cervices et capita nobis amputantur; at etiam dii vestri, antequam plumbo aut glutino aut gomphis compingantur, capite carent.' Min. Felix l. l.: 'Quando igitur hic nascitur? Ecce funditur fabricatur scalpitur; nondum deus est. Ecce plumbatur construitur erigitur; nec adhuc deus est.' [5] Veteres tigres currui Liberi, leones currui Cybelae adiungebant; Caelestis autem in nummis et gemmis conspicitur aut una cum leonibus aut leoni insidens. [6] originem habent.

6 Sed plane non sentiunt has iniurias et contumelias fabricationis suae dei vestri, sicut nec obsequia[1]. O inpiae voces, o sacrilega convicia! Infrendite, inspumate! Iidem estis, qui Senecam aliquem pluribus et amarioribus de vestra superstitione perorantem probetis[a 2]. 7 Igitur si statuas et imagines frigidas, mortuorum suorum simillimas, non adoramus, quas milvi et mures et araneae intellegunt[3], nonne laudem magis, quam poenam merebatur repudium agniti erroris? Possumus enim[b] videri laedere eos, quos certi sumus omnino non esse? Quod non est, nihil ab ullo[c] patitur, quia non est[d].

XIII. *Ipsi gentiles deos contemnunt, cum eos arbitrio senatus et tributis subiciant et eodem quo mortuos modo colant.*

Sed nobis dei sunt, inquis. Et quomodo vos e contrario inpii et sacrilegi et inreligiosi erga deos vestros[e] deprehendimini, qui[f] quos praesumitis esse, neglegitis[g], quos timetis, destruitis[h], quos etiam vindicatis, inluditis? 2 Recognoscite, si mentior. Primo quidem, cum alii alios colitis, utique quos non colitis, offenditis. Praelatio alterius sine alterius contumelia non potest procedere[i], quia nec electio sine reprobatione. 3 Iam ergo contemnitis quos reprobatis, quos reprobando offendere non timetis. Nam ut supra praestrinximus[4], status dei cuiusque in senatus aestimatione pendebat. Deus non erat, quem homo consultus noluisset et nolendo damnasset.

[a] ita λ, *reprehendistis* cet. [b] *autem* λ, [c] *eo* λ. [d] *qui est* λ. [e] *illos* λ. [f] *ut* λ. [g] *neglegatis* λ. [h] *destruatis* λ. [i] *esse* λ.

[1] Dictum hoc est Tertulliani, non gentilium. [2] In omnibus libris manuscriptis praeter Fuldensem pro *probetis* legitur: *reprehendistis*, atque hanc formam *reprehendistis* omnes editores probaverunt praeter Havercampium; at sensus est: 'Senecam, qui in libro De superstitione amarissimis verbis vanas vulgi de diis opiniones insectatus est, tamquam magnum philosophum probatis; itaque non est, cur mihi adeo succenseatis.' [3] i. e. quarum vanitatem intellegunt. [4] supra c. 5, 1.

4 Domesticos deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis pignerando venditando demutando aliquando in caccabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva[1], ut quisque contritus atque contusus est, dum diu colitur, ut quisque dominus[a] sanctiorem expertus est domesticam necessitatem. 5 Publicos aeque publico iure foedatis, quos in hastario[2] vectigales habetis. Sic Capitolium, sic olitorium forum petitur; sub eadem voce praeconis, sub eadem hasta, sub eadem adnotatione[3] quaestoris divinitas addicta conducitur[4]. 6 Sed enim agri tributo onusti viliores, hominum capita stipendio censa[5] ignobiliora, nam hae sunt notae captivitatis; dei vero, qui magis tributarii[6], magis sancti; immo qui magis sancti, magis tributarii. Maiestas quaestuaria efficitur; circuit cauponas religio mendicans[7]. Exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu[b] sacri[c]; non licet deos gratis nosse, venales sunt.

7 Quid omnino ad honorandos[d] eos facitis, quod non etiam mortuis vestris conferatis? Aedes proinde, aras proinde[8]. Idem

[a] *deum λ.* [b] *auditu* GM Vindob. [c] *sacrarii λ.* [d] *inhonorandos λ.*

[1] Ergo etiam Saturnus et Minerva in numero Larium erant. Lares enim non solum genii domuum et manes mortuorum hominum, sed etiam quilibet alii dii nominabantur, quatenus domi privata religione consecrati in larario positi erant. [2] Hastarium erat locus, ubi venditiones et locationes publicae instituebantur. Gloss. vetus apud Mai., Auct. class. VI 526: 'Hastarium, statio ubi venduntur bona proscriptorum.' [3] Dirksen, Manuale p. 30: Adnotatio est relatio addictionis cum nomine emptoris in tabulas facta. [4] emitur. [5] obnoxii tributo et exactioni capitum designantur. [6] qui plus emolumenti conferunt sacerdotibus. [7] Ad nat. I 10 (77, 2): 'Maiestas prostituitur in quaestum, negotiatio religione proscribitur, *sanctitas locationem mendicat.*' Melius autem haec verba Apologetici explicantur de sacerdotibus circumforaneis et ostiatim mendicantibus; cfr. Min. Fel., Oct. 24: 'mendicantes vicatim deos ducunt.' Aug. de civ. dei VII 26 de sacerdotibus Magnae matris: Incessu, inquit, femineo per plateas vicosque Carthaginis etiam a populis unde turpiter viverent exigebant. [8] Sepulcra nobiliorum in similitudinem templorum exstructa erant; alia monumenta sepulcralia formam araе habebant, in aliis arae erant, ubi dis Manibus sacrificaretur.

habitus et insignia in statuis; ut aetas, ut ars, ut negotium mortui fuit, ita deus est. Quo differt ab epulo Iovis silicernium[1], a simpulo obba[2], ab haruspice pollinctor? Nam et haruspex mortuis adparet[3].

8 Sed digne imperatoribus defunctis honorem divinitatis dicatis, quibus et viventibus eum addicitis. Accepto ferent dei vestri, immo gratulabuntur, quod pares eis fiant domini sui[4]. 9 Sed cum Larentinam[5], publicum scortum, velim saltim Laïdem aut Phrynen inter Iunones et Cereres et Dianas adoretis; cum Simonem magum statua et inscriptione Sancti Dei inauguratis[6], cum de paedagogiis[a] aulicis[7] nescio quem[8] synodi[b] deum[9] facitis, licet non nobiliores dei veteres[c], tamen contumeliam [a][d] vobis deputabunt, hoc et aliis[e] licuisse, quod solis antiquitas contulit[f].

[a] *paedagogis* λ EFGM Erfurt. Vindob. [b] ita D Erfurt. o, *cinhothi* λ, *sinhodi* AB, *sinodi* EGM, *cynaedum* T, *cinaedum* Kellner. [c] + *vestri* λ. [d] Hoc *a*, quod in omnibus cod. et edit. legitur, mihi eiciendum videtur esse. [e] *alii* λ. [f] *quod soli ab antiquitate praeceperant* (i. e. perceperant) λ.

[1] epulum funebre. [2] *Simpulo* vinum in sacrificiis libabatur; *obba* erat vas ventriosum, quo dis Manibus litabatur. [3] Quod *pollinctor* in humanis, id est *haruspex* in divinis rebus; ille curat corpora humana, hic victimas diis caesas. [4] Imperatores domini dici poterant deorum, quia hi imperatorum arbitrio inter deos referebantur. [5] Acca Larentia dea fuit latina vetus. [6] Idem narrat Iust. apol. I 26, quem secuti sunt Tertullianus (h. l.), Irenaeus adv. haer. I 23, 1, alii. Misere autem hæc opinio Iustinum fefellit; cfr. Rauschen, Floril. patrist. II 40 adn. 1. [7] Paedagogia erant loca, ubi pueri ad delicatiora ministeria a paedagogis instituebantur. [8] Significatur Antinous, formosus iuvenis Bithynius, qui ab imperatore Hadriano adamatus et post mortem, quam in Aegypto in eius favorem obpetiit, inter deos relatus est. [9] i. e. in synodum seu conlegium deorum cooptatus; cfr. inscript. apud Gruterum 86, 1: *Ἀντινόῳ συνθρόνῳ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεῶν Μ. Οὔλπιος Ἀπολλώνιος προφήτης.*

1760

XIV. *Quae poetae et philosophi de diis commenti sunt, perstringuntur.*

Volo et ritus vestros recensere; non dico quales sitis in sacrificando, cum enecta et tabidosa et scabiosa quaeque mactatis, cum de opimis et integris supervacua quaeque truncatis, capitula[1] et ungulas, quae domi quoque pueris vel canibus destinassetis, cum de decima Herculis[2] nec tertiam partem in aram eius inponitis; laudabo magis sapientiam, quod de perdito aliquid eripitis.

2 Sed conversus ad litteras vestras, quibus informamini ad prudentiam et liberalia officia, quanta invenio ludibria! Deos inter se propter Troianos et Achivos ut gladiatorum paria congressos depugnasse; Venerem humana sagitta sauciatam, quod filium suum Aenean paene interfectum ab eodem Diomede rapere vellet[a 3]; 3 Martem tredecim mensibus in vinculis paene consumptum[4]; Iovem, ne eandem vim a ceteris caelitibus experiretur, opera cuiusdam monstri liberatum[5], et nunc flentem Sarpedonis casum[b 6], nunc foede subantem[7] in sororem sub commemoratione non ita dilectarum iampridem[c] amicarum. 4 Exinde quis non poëta ex auctoritate principis sui[8] dedecorator invenitur deorum? Hic Apollinem Admeto regi pascendis pecoribus addicit[9]; ille Neptuni structorias operas Laomedonti locat[10].

[a] *cum filium suum Aeneam ne interimeretur rapere voluisset λ.*
[b] *causa λ.* [c] > *λ.*

[1] Capitula sunt abiectae partes seu resegmina (Abfälle). [2] Macr. sat. III 12, 2: Testatur etiam Terentius Varro in ea satura, quae inscribitur *Περὶ κεραννοῦ*, maiores solitos decimam Herculi vovere nec decem dies intermittere quin pollucerent (i. e sacrificarent). [3] Il. V 330 ss. [4] Il. V 385—387. [5] Verg., Aen. X 567; Servius ad hunc loc.: 'Homerus nihil dicit aliud, quam centum manus eum habuisse et auxilio cum Iovi adversus Neptunum, Iunonem et Minervam fuisse.' [6] Il. XVI 458 ss. [7] libidine ardentem. [8] Homeri. [9] Preller, Griech. Mythologie II[3] (Berol. 1872) 316. [10] Il. XXI 442 ss.

5 Est et ille de lyricis, Pindarum dico, qui Aesculapium canit avaritiae merito, quia medicinam nocenter exercebat, fulmine iudicatum[1]. Malus Juppiter, si fulmen illius est[2], inpius in nepotem, invidus in artificem. 6 Haec neque vera prodi neque falsa confingi apud religiosissimos oportebat. Nec[a] tragici quidem aut comici parcunt, ut non aerumnas vel errores domus alicuius dei praefentur[b 3].

7 Taceo de philosophis, Socrate contentus, qui in contumeliam deorum quercum et hircum[c] et canem deierabat[4]. Sed propterea damnatus est Socrates, quia deos destruebat. Plane olim, id est semper, veritas odio est. 8 Tamen cum paenitet[d] sententiae Athenienses ut[e] criminatores Socratis postea efflixerint[f] et imaginem eius auream in templo conlocarint, rescissa damnatio[g] testimonium Socrati reddit[h 5]. Sed et Diogenes nescio

[a] *ne* λ. [b] *praeferantur* λ, *praefertur* M. [c] *et hircum* > λ. [d] ita λ, *paenitentia* cet.; cfr. Ad nat. I 10 (79, 19): *cum paenituerit Athenienses damnationis, ut criminatores quoque impenderint.* [e] ita λ S, *et* o. [f] ita λ, *afflixerint* cet. [g] *damnatione* λ. [h] ita S (etiam AM), *reddiderunt* λ, *reddidit* o.

[1] Pindarus pyth. 3. Aesculapius ingenti pretio captus mortuos quosdam adversus fatum seu Iovis voluntatem ad vitam revocasse fertur. [2] Innuit Tertullianus fulmen non Iovis, sed dei veri esse. [3] i. e. causam vel caput faciant. Sensus est: Tragici et comici rixas et scelera deorum fuisse causas principales aerumnarum, quas passi sunt magni viri, passim adserunt. [4] Haec tria simul a nullo alio scriptore commemorantur; nonnulli pro hirco et quercu anserem et platanum proferunt. Theophilus ad Aut. III 2: *ἢ Σωκράτην τὸ ὀμνύειν τὸν κύνα ἢ τὴν χῆνα καὶ τὴν πλάτανον.* Acta s. Apollonii (Rauschen flor. III 77): *καταγελῶν δέ μοι δοκεῖ καὶ Σωκράτης Ἀθηναίων τὴν πλάτανον ὀμνύναι ξύλον τὸ ἄχριον.* Philostratus vita Apoll. VI 19: *Ἐγένετό τις Σωκράτης Ἀθηναῖος ἀνόητος ὃς τὸν κύνα καὶ τὸν χῆνα καὶ τὴν πλάτανον θεούς τε ἡγεῖτο καὶ ὤμνυ.* De hirco haec habet Suidas (s. v. *χῆνα ὀμνύναι*): *Ὑπὲρ τοῦ μὴ τοὺς θεοὺς ἐπὶ πᾶσιν ὀνομάζειν Ῥαδάμανθυς ἐκέλευε κατὰ χῆνος καὶ κρίου ὀμνύναι, οὐχ, ὥς τινες, Σωκράτης.* [5] Diog. Laert. II 5, 23.

quid in Herculem ludit[1], et Romanus cynicus Varro trecentos Ioves, sive Juppiteros[a] dicendum[b], sine capitibus inducit[c 2].

XV. *Etiam in ludis scenicis gladiatoriisque et in ipsis templis honor divinitatis a gentilibus inquietatur.*

Cetera lasciviae ingenia etiam voluptatibus vestris per deorum dedecus operantur. Dispicite[d] Lentulorum[e] et Hostiliorum[3] venustates[f], utrum mimos an deos vestros in iocis et strophis[4] rideatis: moechum Anubin[5] et masculum Lunam[6] et Dianam flagellatam et Iovis mortui testamentum recitatum et tres Hercules famelicos inrisos[7]. 2 Sed et histrionum litterae omnem foeditatem eorum designant. Luget Sol filium[8] de caelo iactatum[g] laetantibus vobis, et Cybele pastorem[h] suspirat fastidiosum[9] non erubescentibus vobis, et sustinetis Iovis elogia[10] cantari et Iunonem Venerem Minervam a pastore[11] iudicari. 3 Ipsum quod

[a] *Iupiteros* λ DE Erfurt. libri Pamelii, *Iupitros* ABFGM Vindob. Ambros. o, *Iupiteres* T, *Iuppiteres* Reiff. Ad nat. I 10 (79, 24). [b] ita (λ) T, *dicendum est* Ad nat. l. l., *dicendos* So. [c] ita λ et Ad nat. l. l. (25), *introducit* cet. [d] *despicite* AM. [e] *Lentulos* λ. [f] *vetustates* λ. [g] *detractum de caelo* λ. [h] ita cum (λ) alii codd. et Ad nat. I 10 (80, 4), *pastorum* ABGo.

[1] Diogenes tragoediam scripsit, cui titulus erat: 'Hercules'; cynici, discipuli eius, Herculem cum baculo ubique terrarum oberrantem quasi sectae suae principem praedicabant. [2] Varro, amplissimus ille Rerum divinarum atque humanarum scriptor, multitudinem deorum inrisisse et ad unum caput i. e. ad unum Iovem redegisse videtur. [3] De Lentulo et Hostilio mimographis nihil constat. [4] dolis. [5] Anubis, filius Osiridis dei Aegyptii, animarum e corporibus exeuntium fuit comes et custos. [6] Luna a nonnullis deus masculini generis habebatur. Spartianus, Carac. 6: 'atque inde Carras Luni dei gratia venisset.' [7] Herculis voracitas in proverbium cessit. [8] Phaëthontem, qui currum solis ducens, cum omnia perturbaret, a patre fulmine ictus est et de caelo decidit. [9] Attin significat, qui amori Cybelae, quae eum adamaverat, parum respondebat; etiam Arnobius (adv. nat. IV 35) eum subulcum adpellat. [10] furtorum aliorumque criminum titulos. [11] Paride.

imago dei vestri ignominiosum caput et famosum vestit[1], quod corpus inpurum et ad istam artem effeminatione productum Minervam aliquam vel Herculem repraesentat, nonne violatur maiestas et divinitas constupratur plaudentibus[a] vobis?

4 Plane religiosiores estis in cavea[2], ubi super sanguinem humanum, super inquinamenta poenarum proinde saltant dei vestri, argumenta et historias noxiis ministrantes, nisi quod et ipsos deos vestros saepe noxii induunt[3]. 5 Vidimus aliquando castratum Attin, illum deum ex[b] Pessinunte, et qui vivus ardebat, Herculem induerat. Risimus et inter ludicras meridianorum crudelitates[4] Mercurium mortuos cauterio examinantem; vidimus et Iovis fratrem gladiatorum cadavera cum malleo deducentem[5]. 6 Singula ista quaeque adhuc investigare quis posset? Si honorem inquietant divinitatis, si maiestatis fastigium adsolant[c], de contemptu utique censentur[6] tam eorum, qui eiusmodi factitant, quam eorum, quibus factitant.

7 Sed ludicra ista sint! Ceterum si adiciam, quae non minus conscientiae omnium recognoscent, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque aedituorum et sacerdotum tabernaculis, sub isdem vittis et apicibus[7]

[a] ita λ, *laudantibus* cet. [b] *deum vestrum e* λ. [c] ita λ et Ad. nat. I 10 (80, 16), *vestigia obsoletant* cet.

[1] Totum igitur histrionis caput persona dei, quem repraesentabat, tectum erat, quod idem Gellius noct. Att. V 7, 2 testatur. [2] in amphitheatro. [3] Quandoque noxii deorum vel clarorum virorum dolores veris poenis repraesentabant. [4] Sub meridiem, dum vacat arena, producebantur vilia quaedam gladiatorum paria, quibus non galea, non scutum, nec ullae mortis morae, homicidia mera; ad haec spectacula nonnulli dimisso ad prandium populo persedebant (Rigalt.). [5] Qui Mercurium induerat — is enim erat *ψυχαγωγός* —, candenti virga ferrea occisos examinabat, utrum revera mortui essent an solummodo languerent; qui vero Plutonem deum inferorum, cum malleo incedebat, quo contunderet corpora gladiatorum occisorem, si quid animae in iis adpareret. [6] originem habent. [7] Vittae, apices, vestes purpureae erant insignia sacerdotum.

et purpuris, thure flagrante, libidinem expungi[1], nescio, ne plus de vobis dei vestri quam de christianis querantur. Certe sacrilegi de vestris semper adprehenduntur; christiani enim templa nec interdiu norunt; spoliarent forsitan ea et ipsi, si et ipsi ea adorarent[2].

8 Quid ergo colunt qui talia non colunt? Iam quidem intellegi subiacet, veritatis esse cultores qui mendacii non sint, nec errare amplius in eo, in quo errasse se recognoscendo cessaverunt. Hoc prius capite et omnem hinc sacramenti nostri ordinem haurite, repercussis ante tamen opinionibus falsis.

XVI. *Refelluntur calumniae de cultu capitis asinini et solis christianorum; deinde crucis veneratio defenditur.*

Nam[a], ut quidam, somniastis, caput asininum esse deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem eiusmodi[b] inseruit. 2 Is enim in quarta[c][3] Historiarum suarum de bello Iudaico[d] exorsus ab origine gentis, etiam de ipsa tam origine quam de nomine et religione gentis quae voluit argumentatus, Iudaeos refert Aegypto expeditos sive, ut putavit, extorres[e] vastis Arabiae in locis[f] aquarum egentissimis cum siti macerarentur, onagris, qui forte de pastu potum petituri aestimabantur[g][4], indicibus fontibus[h] usos, ob eam gratiam consimilis bestiae super-

[a] + *et* AE Erfurt. Ambros. o. [b] *huiusmodi λ, eiusmodi dei* o; sed cfr. de usu locutionis *eiusmodi* Oehlerum ad De bapt. 12 et Schepss in Woelfflin, Archiv III 317. [c] ita ego cum Ad nat. I 11 (80, 25), *in quarto λ, in quinta* So, *in quinto* T. [d] ita λ et Ad. nat. l. l. (26): *ubi de bello Iudaico digerit; bellum Iudaicum* cet. [e] *exterminatos λ.* [f] + et *λ.* [g] *aestimarentur λ*; sed cfr. Ad nat. l. l. (81, 4). [h] ita S et cod. Agobard. Ad nat. l. l.; *fontis λ* Haverc. Oehler Reiffersch.

[1] *Expungere* eodem sensu quo *perficere* usurpatum familiare est Tertulliano. [2] *Προσκυνεῖν ναόν* saepe legitur apud Iosephum, ex. gr. Ant. XIII 5: *καὶ τὸ ἐν Γαριζὶν προσεκύνουν ἱερόν.* [3] immo vero Hist. V 3. [4] *Aestimare* pro *putare* non semel scripsit Septimius noster.

ficiem consecrasse[1]. 3 Atque ita inde praesumptum opinor, nos quoque ut Iudaicae religionis propinquos eidem[a] simulacro initiari[2]. At enim idem Cornelius Tacitus, sane ille mendaciorum loquacissimus, in eadem historia refert, Gneium Pompeium, cum Hierusalem cepisset proptereaque templum adisset speculandis Iudaicae religionis arcanis, nullum illic repperisse simulacrum. 4 Et utique si id colebatur, quod aliqua effigie repraesentabatur, nusquam magis quam in sacrario suo exhiberetur, eo magis, quia nec verebatur extraneos arbitros quamquam vana cultura[3]. Solis enim sacerdotibus adire licitum[b]; etiam conspectus[c] ceterorum velo obpanso interdicebatur. 5 Vos tamen non negabitis, et iumenta omnia et totos cantherios cum sua Epona[4] coli a vobis[5]. Hoc forsitan inprobamur, quod inter cultores omnium pecudum bestiarumque asinarii tantum sumus.

6 Sed et qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster. Cum lignum aliquod propitiatur[6], viderit[7] habitus, quando[d] materiae qualitas eadem sit[e]; viderit forma, dum id ipsum dei

[a] eodem λ. [b] + *erat* λ. [c] *conspectui* λ. [d] ita λ, *cum* S (etiam AM)o, *dum* cd Haverc. [e] *est* λ; cfr. Hoppe, Syntax p. 78.

[1] Tac. hist. V 4: Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque expulerant, penetrali sacravere. Suidas (s. v. *Δαμόκριτος*): *Δαμόκριτος ἱστορικὸς περὶ Ἰουδαίων φησίν, ὅτι χρυσῆν ὄνου κεφαλὴν προσεκύνουν καὶ κατὰ ἑπταετίαν* (al. *τριετίαν*) *ξένον ἀγρεύοντες προσέφερον καὶ κατὰ λεπτὰ τὰς σάρκας διέξαινον καὶ οὕτως ἀνῄρουν.* [2] Min. Felix, Oct. 9. De imagine crucifixi cum capite asinino (Spottkruzifix) in Palatino colle 1856 invento cfr. Kraus, Realenzyklopädie II 774—776; hanc imaginem R. Wünsche (Sethianische Verfluchungstafeln, Lips. 1898, 111) de Typhon Seth deo Aegyptio interpretatus est. [3] Arbitris extraneis in sacrarium aditus apud Iudaeos non patebat; itaque simulacro illi in sacrario locus tutissimus fuisset. [4] Epŏna dea erat patrona equorum, asinorum mulorumque et in stabulis colebatur; de nomine cfr. Jordan in: Preller, Röm. Mythologie, 3. edit., II 227 adn. 3. [5] Min. Fel., Oct. 28: nisi quod vos et totos asinos in stabulis cum vestra vel sua Epona consecratis et eosdem asinos cum Iside religiose decoratis. [6] placatur, colitur. [7] i. e. nihil refert, qualis sit habitus. Frequentissimus est huius locutionis apud Tertullianum usus.

corpus sit. Et tamen quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica[1] et Ceres Pharia[2], quae sine effigie rudi palo et informi ligno prostat[a]? 7 Pars crucis est omne robur, quod erecta statione defigitur. Nos, si forte[3], integrum et totum deum colimus. 2 Diximus[4] originem deorum vestrorum a plastis de[b] cruce induci. Sed et Victorias adoratis, cum in tropaeis cruces sint, intestina tropaeorum[c5]. 8 Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur[d], signa iurat, signa omnibus deis praeponit. Omnes illi imaginum suggestus in signis[e] monilia crucum sunt; siphara[6] illa vexillorum et cantabrorum[7] stolae crucum sunt. Laudo diligentiam; noluistis incultas et nudas cruces consecrare.

9 Alii plane humanius et verisimilius solem credunt deum nostrum. Ad Persas, si forte, deputabimur, licet solem non in linteo depictum adoremus, habentes ipsum ubique in suo clypeo[8]. 10 Denique inde suspicio, quod innotuerit, nos ad orientis regio-

[a] ita DT, *prostrat* ABEGM Erfurt., *prostant* λ o; cfr. Ad nat. I 11 (82, 1): *quae sine forma rudi palo . . . repraesentatur.* [b] *in* λ. [c] ita ego; *cum tropaeis intestina sint tropaeorum* λ, *cum in tropaeis cruces intestina sint tropaeorum* cet.; cfr. Ad nat. I 12 (83, 13): *'constructione quo melius extollant, cruces erunt, intestina quodammodo tropaeorum.'* [d] + *signa adorat* λ. [e] ita λ o, *insignes* cet.

[1] Palladis simulacrum, quod erat forma lapidis quadrati, memorat Pausanias (Arcad. c. 32): *Εἰσὶ δὲ ὑποκαταβάντι ὀλίγον θεοὶ (παρέχονται δὲ καὶ οὗτοι σχῆμα τετράγωνον, Ἐργάται δὲ ἔστιν αὐτοῖς ἐπίκλησις) Ἀθηνᾶ τε καὶ Ἐργάτη καὶ Ἀπόλλων ἀγυιεύς.* [2] Aegyptiorum dea Isis adpellatur Faria in nummis apud Eckhel (Doctr. numm. VIII 140) et in vetere Kalendario apud Gruterum, Inscr. 138. De rudi eius simulacro praeter Tert nemo loquitur. [3] Haec locutio est graeca *εἰ τύχοι*, nostra 'allenfalls' (Hand, Tursellinus II 736). [4] supra c. 12, 3. [5] Ita adpellat Tert. stipites, quibus spolia adpensa erant. Min. Fel., Oct. 29: Tropaea vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem, verum et adfixi hominis imitantur. [6] vela. [7] Cantabrum, quod vocabulum apud solum Tertullianum legitur, est vexilli genus. [8] Hoc vocabulo vel solis discus vel caelum, quod clypei formam habet, significatur.

nem precari[1]. Sed et plerique vestrum adfectatione aliquando et[a] caelestia adorandi ad solis ortum labia vibratis. 11 Aeque si diem solis laetitiae indulgemus, alia longe ratione quam[b] religione solis, secundo loco ab eis sumus, qui diem Saturni otio et victui decernunt, exorbitantes et ipsi a Iudaico more, quem ignorant[2].

12 Sed nova iam dei nostri in ista proxime civitate[3] editio publicata est, ex quo quidam frustrandis bestiis mercenarius noxius[4] picturam proposuit cum eiusmodi inscriptione: *deus christianorum Onocoëtes*[c 5]. Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans et togatus. Risimus et nomen et formam[6]. 13 Sed illi debebant[d] adorare statim biforme numen, quia et canino et leonino capite commixtos et de capro et de aricte cornutos et a lumbis hircos et a cruribus serpentes et planta et[e]

[a] + *certa* λ, sed cfr. Ad nat. I 13 (83, 24). [b] + *de* λ. [c] ita o, *onochoites* λ, *onochoitis* AM, *onocholtes* cod. Agobard. Ad nat. I 14. [d] *debuerant* λ. [e] ita λ et Ad nat. I 14 (84, 25), *vel* cet.

[1] Idem usus apud ethnicos valebat; nam etiam ethnicorum templa orientem versus spectare solebant (Hyginus grom. c. 4). Apud christianos hic mos saeculis IV. et V. invaluit; cfr. Paul. Nol. ep. 32, 13: Prospectus vero basilicae non, ut usitatior mos est, orientem spectat. Const. apost. II 57: *ὁ οἶκος ἔστω ἐπιμήκης, κατὰ ἀνατολὰς τετραμμένος.* [2] Romani, quamvis a ritu Iudaeorum alieni, sabbatum seu diem Saturni observabant; cfr. Horat. sat. I 9, 69—72; Ovid. remed. am. 219; Tert. ad nat. I 13: Non longe a Saturno et sabbatis vestris sumus. [3] Carthagine. [4] Iudaeus erat, sed suae religionis desertor (ad nat. I 14). *Mercenarius* et *noxius* sibi contradicere videntur; sed tam mercenarius quam damnatus in ludum est noxius, quia nemo nisi scelestus et desperatus eo descendebat. Apte dicit Tert. *frustrandis bestiis,* quia maxima pars artis bestiariorum ea erat, ut impetus bestiarum declinarent. [5] Ita primus scripsit Oehler, quem secutus est Reifferscheid (ad nat. I 14). Vox derivanda est ab *ὄνος* et verbo *κοιᾶσθαι*, quod significat: sacerdotem esse (Hesych: *κοιᾶται, ἱερᾶται· κοίης, ἱερεὺς Καβείρων*); ergo *ὀνοκοιήτης* seu *ὀνοκοίτης* est: asinarius sacerdos. Olim scribebant *ὀνοκοίτης*, i. e. asinino admissu prognatus. [6] Ad nat. I 14: in tota civitate onocoëtes praedicatur.

tergo alites deos receperunt. 14 Haec ex abundanti, ne quid rumoris inrepercussum quasi de conscientia[1] praeterissemus. Quae omnia conversi iam ad demonstrationem religionis nostrae repurgabimus[a].

XVII. *Deum unum et inmensum esse probatur ex sensu communi hominum.*

Quod colimus, deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento[2] elementorum corporum spiritum, verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum maiestatis suae, unde et Graeci nomen mundo *κόσμον* adcommodaverunt. 2 Invisibilis est, etsi videatur; incomprehensibilis, etsi per gratiam repraesentetur; inaestimabilis, etsi humanis sensibus aestimetur; ideo verus et tantus est[b]. Ceterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod aestimari potest, minus est et oculis quibus occupatur, et manibus quibus contaminatur[3], et sensibus quibus invenitur. 3 Quod vero inmensum est, soli sibi notum est. Hoc est, quod deum[c] 4 aestimari facit, dum aestimari non capit[5]; ita eum vis magnitudinis et notum hominibus obicit et ignotum. Et haec est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.

4 Vultis ex operibus ipsius tot ac talibus, quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur, vultis ex animae ipsius testimonio comprobemus? 5 Quae licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus et concupiscentiis evigorata, licet

[a] *repurgavimus* ABMo; scribendum esse *repurgabimus* patet ex argumento capitis sequ. [b] > λ. [c] ita λ, *hoc quod est dominum* ST (etiam AM), *hoc quod est deum* o.

[1] consulto. [2] *Instrumentum* Tert. saepe ponit pro *adparatu*. [3] tangitur. [4] Ita legendum esse cum codice Fuldensi, et ex sententia sequenti (*ita eum vis magnitudinis* squ.) et ex Min. Felice (Oct. 18) patet, ubi verba Tertulliani ita exprimuntur: 'Nobis vero ad intellectum pectus angustum est, et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus.' [5] potest (graece *ἐνδέχεται*).

falsis deis exancillata[1], cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine[2], et[a] sanitatem suam patitur[3], deum nominat, hoc solo nomine, quia proprie verus hic unus. *Deus magnus, deus bonus*[b 4], et: *quod deus dederit* omnium vox est. 6 Iudicem quoque contestatur illum: *Deus videt* et *deo commendo* et *deus mihi reddet.* O testimonium animae naturaliter christianae! Denique pronuntians haec non ad Capitolium, sed ad caelum respicit. Novit enim sedem dei vivi; ab illo et inde descendit.

XVIII. *Deus optime cognoscitur ex libris propheticis Iudaeorum, a LXXII interpretibus 'in graecum stilum exapertis'.*

Sed quo plenius et impressius[5] tam ipsum quam dispositiones eius et voluntates adiremus, adiecit instrumentum litteraturae[6], si qui velit de deo inquirere et inquisito invenire et invento credere et credito deservire. 2 Viros enim institiae innocentia dignos deum nosse et ostendere, a primordio in saeculum emisit spiritu divino inundatos, quo praedicarent, deum unicum esse, qui universa condiderit, qui hominem de humo struxerit — hic enim est verus Prometheus, qui saeculum certis temporum dispositionibus et exitibus ordinavit[7] —, 3 exinde quae signa maiestatis suae iudicantis ediderit[c] per imbres, per ignes, quas demerendo sibi disciplinas[8] determinaverit, quae

[a] > λ. [b] ita λ, *hoc solo quia proprie verus hic unus deus bonus et magnus* cet. [c] *ediderit iudicando ediderit* λ.

[1] exancillari, servire. [2] morbo. [3] Verbo *pati* Tert. eodem modo uti solet quo Graeci verbo πάσχειν (experiri, nancisci). [4] Ita scribendum esse cum codice Fuldensi, satis declarat Min. Felix, Oct. 18: 'Audio vulgus: cum ad caelum manus tendunt, nihil aliud quam *deum* dicunt et *deus magnus est* et *deus verus est* et *si deus dederit*.' Cfr. De test. animae 2. [5] gravius. [6] libros veteris testamenti. [7] De Prometheo homines fabricante vide Ovid. met. I 82 s. [8] Leges significat, quibus coli voluerit et quibus se propitium praebuerit (Rigalt.).

ignoratis et desertis[a] et observatis[b] his praemia destinarit; ut qui producto[c] [1] aevo isto iudicaturus sit suos cultores in vitae aeternae retributionem[d], profanos in ignem aeque perpetem et iugem, suscitatis omnibus ab initio defunctis et reformatis et recensitis[e] ad utriusque meriti dispunctionem. 4 Haec et nos risimus aliquando. De vestris sumus. Fiunt, non nascuntur christiani[2].

5 Quos diximus praedicatores, prophetae de officio praefandi vocantur. Voces eorum itemque virtutes[3], quas ad fidem divinitatis edebant, in thesauris litterarum manent, nec istae latent. Ptolemaeus, quem Philadelphum[4] supernominant, eruditissimus rex et omnis[f] litteraturae sagacissimus, cum studio bibliothecarum Pisistratum[5], opinor, aemularetur[g], inter cetera memoriarum[6], quibus aut vetustas aut curiositas aliqua ad famam patrocinabatur, ex suggestu[7] Demetrii Phalerei, grammaticorum tunc[h] probatissimi, cui praefecturam mandaverat, libros a Iudaeis quoque postulavit, proprias atque vernaculas litteras, quas soli habebant[8]. 6 Ex ipsis enim et ad ipsos semper prophetae pero-

[a] ita bo, *deseritis* cet. [b] ita λ o, *observantibus* cet. [c] *peracto* λ. [d] *restitutionem* λ. [e] *recensis* λ. [f] ita λ, ubi tamen pro *rex et omnis* legitur: *rexit omni; Ptolemaeus cognomento Philadelphus omnis* s. Isidorus etym. VI 3, 5; *Ptolemaeorum eruditissimus quem Philadelphum supernominant et omnis* cet. [g] *aemulatur* GM. [h] > λ.

[1] ad finem producto vel consummato. [2] Exscripsit hanc sententiam s. Hieronymus ep. 107, 1. Cfr. De test. an. 1: 'fieri non nasci soles christiana'. [3] miracula. [4] Regnavit annis 285—247 a. Chr. [5] Gellius noct. Att. VII (al. VI) 17: Libros Athenis disciplinarum liberalium publice ad legendum praebendos primus posuisse dicitur Pisistratus tyrannus. [6] librorum historicorum vel monumentorum. [7] hortatu. [8] Eandem rem tradit Eus. praep. ev. XIII 12, 1 verbis Aristobuli philosophi hebraei, qui scripsit saeculo altero a. Chr.. Clemens Alexandrinus (strom. I 22) narrat Ptolemaeum Philadelphum, ut bibliothecam quam plurimis libris exornaret, Hierosolymam nuntios misisse, qui inde et libros Iudaeos et interpretes adducerent; a Iudaeis autem cum libris divinis missos esse LXX seniores et s. scripturae et linguae graecae peritos, qui singuli ex

raverant[1], scilicet ad domesticam dei gentem ex patrum gratia. Hebraei retro, qui nunc Iudaei; igitur et litterae hebraeae et eloquium. 7 Sed ne notitia vacaret, hoc quoque a Iudaeis Ptolemaeo subscriptum[a 2] est, septuaginta et duobus interpretibus indultis, quos Menedemus[3] quoque philosophus, providentiae vindex, de sententiae communione suspexit[4]. Adfirmavit haec vobis etiam Aristaeus[5]. 8 Ita in graecum stilum exaperta monumenta[b] hodie apud Serapeum[6] Ptolemaei bibliothecae cum ipsis hebraicis[c] exhibentur. 9 Sed et Iudaei palam lectitant. Vecti-

[a] *rescriptum* λ. [b] ita λ (quod Oehlerum fugit), + *reliquit* cet. [c] ita λBFG Vindob., + *litteris* o cum ceteris.

suo legem et prophetas interpretati sint ita, ut omnium interpretationes inter se conlatae et sensu et dictione mirum in modum conspirarent. Cfr. etiam s. Iust. apol. I 31. [1] locuti sunt. [2] concessum est. [3] De Menedemo Eretriensi philosopho, qui fuit discipulus Phaedonis aliorumque Platonis amicorum, cfr. Diog. Laërt. II 18. [4] i. e. admiratus est. Sensus huius sententiae obscurior est; Oehler ita explicat: 'Quod dicit Tert. de sententiae communione, id non respicit ad convenientiam LXXII interpretum in opere interpretando, sed ad convenientiam illorum cum ipso (Menedemo) in vindicanda et adserenda providentia dei, quam in Convivio Menedemus prae ceteris adfirmavit teste Iosepho ant. Iud. XII 3.' Iosephus hoc loco (II 101 ed. Teubn.) ita habet: *θαυμάζοντος δ' αὐτοὺς οὐ μόνον τοῦ βασιλέως ἀλλὰ καὶ Μενεδήμου τοῦ φιλοσόφου προνοίᾳ διακεῖσθαι πάντα φήσαντος.* [5] Exstat epistula apocrypha Aristeae (seu Aristaeae), qui officialis fuit in aula Ptolemaei Philadelphi, in qua multa fabulosa narrantur de origine versionis LXX interpretum; hanc epistulam iam Iosephus adlegat (ant. XII 2, 2 ss.) eamque secuti sunt postea multi in historia interpretationis illius tradenda, ex. gr. (Iustini) Cohortatio ad Graecos 13 et Hieronymus apol. adv. libros Ruf. II 25, qui ita refert: 'Et nescio, quis primus auctor LXX cellulas Alexandriae mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarint, cum Aristeas, eiusdem Ptolemaei *ὑπερασπιστής*, et multo post tempore Iosephus nihil tale rettulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse.' Epistulam Aristeae typis expressam vide apud Merx, Archiv für wiss. Erforschung des alt. Test. I 253 ss. [6] Bibliotheca minor et posterior Alexandrina erat in Serapeo, maior vero in Bruchio; cfr. s. Epiphanium de pond. et mens. 11.

galis libertas[1]; vulgo aditur sabbatis omnibus. Qui audierit, inveniet deum: qui etiam studuerit intellegere, cogetur et credere.

XIX. *Primam sacrae scripturae auctoritatem summa antiquitas vindicat.*

Primam igitur[a] instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vindicat. Apud vos quoque religionis est instar, fidem de temporibus[b] adserere[2]. 2 Omnes itaque substantias omnes-

[a] ita λ, > cet. [b] *tempore* cum λ de Lagarde, Abhandl. der Ges. d. Wiss. zu Göttingen 1891, 77 ss.

[1] Hierosolymis captis a Vespasiano Iudaeis vectigal inpositum est quotannis Iovi Capitolino pendendum, quo redimerent licentiam in synagogas conveniendi cultumque divinum suum continuandi. Iosephus ant. Iud. VII 6: *φόρον δὲ τοῖς ὅπου δήποτ' οὖσιν Ἰουδαίοις ἐπέβαλε, δύο δράχμας ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ Καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν.* [2] Hoc loco codex Fuldensis de vetustate et auctoritate sacrae scripturae multa addit, quae Tertulliani esse non possunt. De Lagarde (Abhandl. der kgl. Gesellschaft der Wiss. zu Göttingen 1891, 85) hoc commentariolum partem esse censet apologiae ab Apollonio martyre aut a Victore I. ep. Romano scriptae, ex qua et Tertullianus et Min. Felix hauserint; sed huic sententiae adstipulari nequeo. Verba codicis Fuldensis haec sunt:

Auctoritatem litteris praestat antiquitas summa. Primus enim prophetes Moyses, qui mundi conditionem et generis humani pullulationem et mox ultricem iniquitatis illius aevi vim cataclysmi de praeterito exorsus est, per vaticinationem usque ad suam aetatem et deinceps per res suas futurorum imagines edidit, penes quem et temporum ordo digestus ab initio subputationem saeculi praestitit. Superior invenitur annis circiter trecentis quam ille antiquissimus penes vos Danaus in Argos transvenisset, Troiano denique proelio ad mille annos ante est, unde et ipso Saturno. Secundum enim historiam Thalli, qua relatum est Belum (ita de Lag., *bellum* λ o) Assyriorum et Saturnum, Titanorum reges, cum Iove dimicasse, ostenditur Belum CCCXX et duobus annis Iliacum exitum antecessisse. Per hunc Moysen etiam illa lex propria Iudaeis a deo missa est. Deinceps multa et alii prophetae vetustiores litteris vestris; nam et qui ultimo cecinit, aut aliquantulo praecucurrit aut certe concurrit aetate sapientiae auctoribus, etiam latoribus legis. Cyri enim et

que materias origines ordines, venas veterani[a] cuiusque stili vestri[b], gentes etiam plerasque et urbes insignes, historiarum arcana et[c] memoriarum, ipsas denique effigies litterarum, indices custodesque rerum, et — puto adhuc minus dicimus — ipsos inquam deos vestros, ipsa templa et oracula et sacra unius interim prophetae scrinium[1] saeculis vincit, in quo videtur thesaurus conlocatus totius Iudaici sacramenti et inde iam et[d]

[a] *veterrimi* Lag. [b] *nostri* λ. [c] ita interpunxit et emendavit Lagarde, *insignes hist. et canas mem.* So, *hist. et arcana mem.* λ. [d] ita λ ADEGM, > o.

Darii regno fuit Zacharias, quo in tempore Thales, physicorum princeps, sciscitanti Croeso nihil certum de divinitate respondit, turbatus scilicet vocibus prophetarum. Solon eidem regi finem longae vitae intuendum praedicavit, non aliter quam prophetae. Adeo respici potest, tam iura vestra quam studia de lege deque divina doctrina concepisse. Quod prius est, hoc sit semen necesse est. Inde quaedam nobiscum vel prope nos habetis. De sophia amor eius philosophia vocitatus est, de prophetia adfectatio eius poëticam vaticinationem deputavit. Gloriae homines si quid invenerant, ut proprium facerent, adulteraverunt. Etiam fructibus a semine degenerare contigit. Multis adhuc de vetustate modis consisterem divinarum litterarum, si non maior auctoritas illis ad fidem de veritatis suae viribus quam de aetatis annalibus subpetisset. Quid enim potentius patrocinabitur testimonio earum, nisi dispunctio cottidiana saeculi totius, cum dispositiones (*dispositione* λ Lag.) regnorum, cum casus urbium, cum exitus gentium, cum status temporum ita omnibus respondent, quemadmodum ante milia annorum praenuntiabantur? Unde et spes nostra, quam ridetis, animatur, et fiducia, quam praesumptionem vocatis, conroboratur. Idonea est enim recognitio praeteritorum ad disponendam fiduciam futurorum. Eaedem (eadem λ) voces praedicaverunt utramque partem, eaedem (eadem λ) litterae notaverunt. Unum est tempus apud illas, quod apud nos separari videtur. Ita omnia, quae supersunt inprobata, iam probata sunt nobis, quia cum illis, quae probata sunt, tunc futuris praedicabantur. Habetis, quod sciam, et vos Sibyllam, quatenus adpellatio ista verae vatis dei veri passim super ceteros, qui vaticinari videbantur, usurpata est, sicut (*sunt* Oehler) vestrae Sibyllae nomen de veritate mentitae, quemadmodum et dei vestri.

[1] libri; cfr. Hor. sat. I 1, 120.

nostri. 3 Si quem audistis interim[1] Moysen, Argivo Inacho pariter[2] aetate est; quadringentis paene annis — nam[a] septem minus — Danaum et ipsum apud vos vetustissimum praevenit, mille circiter cladem Priami antecedit[3]; possem[b] etiam dicere[c] quingentis amplius et Homerum, habens quos sequar. 4 Ceteri quoque prophetae etsi Moysi postumant[4], extremissimi[5] tamen eorum non retrosiores reprehenduntur[d 6] primoribus vestris sapientibus et legiferis et historicis?

5 Haec quibus ordinibus probari possint, non tam difficile est nobis exponere, quam enorme, nec arduum, sed interim[7] longum[e]. Multis instrumentis cum digitorum subputatoriis[f] gesticulis[8] adsidendum[g] est, reseranda antiquissimarum etiam gentium archiva, Aegyptiorum Chaldaeorum Phoenicum; 6 advocandi municipes[9] eorum[h], per quos notitia subministrata est, aliqui Manethon Aegyptius et Berosus Chaldaeus[10], sed et Hieromus Phoenix, Tyri rex[11]; sectatores quoque ipsorum Mendesius Pto-

[a] ita λ, + *et* cet. [b] *possum* λ, [c] *dicere etiam* λ Lag.
[d] *deprehenduntur* (λ) T Lag. [e] + *dinumerare* λ Lag.
[f] ita λ Lag., *subputariis* cet. [g] *asserendum* λ Lag.
[h] ita So, *eorum municipes* ab Lag., > *municipes eorum* λ.

[1] antequam alios laudavero (nostrum: für jetzt, einstweilen). [2] aequalis. [3] Haec erat sententia communis veterum apologetarum. Tatianus (adv. Graec. 38) testatur Apionem grammaticum, qui scripsit circa annum 40 p. Chr., ex libris Ptolemaei, qui fuit sacerdos Mendete in urbe Aegyptia, tradidisse Moysen aequalem fuisse Inacho regi, ab Inacho autem ad Ilii excidium effluxisse aetates viginti. Theophilus (ad Aut. III 21) Moysen nongentis vel etiam mille annis antiquiorem esse ait bello Troiano; ita etiam Lact. (inst. div. IV 5). [4] aetate inferiores sunt. [5] De cultu fem. II 1: *postremissimus*; Arnob. V 7: *minimissimus*. [6] antiquiores deprehenduntur. Adiectivum *retrosior* effinxit Tert. ex adverbio *retro*, quod frequentat pro *antea*. [7] ad tempus, cum graviora disputanda sint. [8] i. e. multo adparatu et digitorum subputantium gestu. Veteres per digitos computavisse notum est. [9] eiusdem municipii seu patriae cives. [10] Manetho tres libros *Αἰγυπτιακά*, Berosus tres libros *Χαλδαϊκά*, uterque anno circiter 280 a. Chr. scripsit. [11] Tyriorum rex, qui Salomonis amicus fuit eique filiam in matrimonium dedit, a Tatiano (adv. Graec. 37) vocatur *Χείραμος*, a Clemente Alex. (strom. I 21, Migne p. gr. VIII 839b)

lemaeus[1] et Menander Ephesius[2] et Demetrius Phalereus[3] et rex Iuba[4] et Apion[5] et Thallus[6] et qui[a] istos aut probat aut revincit[7], Iudaeus Iosephus, antiquitatum Iudaicarum vernaculus vindex; 7 Graecorum etiam censuales[8] conferendi et quae quando sint gesta, ut concatenationes temporum aperiantur, per quae luceant annalium numeri; peregrinandum est in historias et litteras orbis. Et tamen quasi partem iam probationis intulimus, cum per quae probari possint, adspersimus[9]. 8 Verum differre praestat, ne vel[b] minus persequamur festinando vel diutius evagemur persequendo.

[a] ita (λ) T Lag., *et si quis* So. [b] ita (λ) DET Lag., *vel ne* ABFGMo.

Εἴραμος, in Chronico paschali (Migne p. gr. XCII 253) *Θείραμος*, a Theophilo (ad Aut. III 22) *Ἱέρωμος*. Ab hoc rege libros scriptos esse post Ios. Scaligerum adfirmat du Cange (Adnot. ad Chron. pasch., Migne p. gr. XCII 253); sed loci, quos adfert, nihil probant; nam neque Clem. Alex. strom. III eius rei testis est neque Theophilus l. l. Fortasse cogitandum est de Hieronymo Aegyptio, qui teste Iosepho (ant. I 94. 107 ed. Teubn.) *Φοινικικά* scripsit. [1] Ptolemaeus tres libros Historiae Aegyptiae scripsit. [2] Iosephus contra Ap. I 18, 116: *Μένανδρον τὸν Ἐφέσιον· γέγραφε δ' οὗτος τὰς ἐφ' ἑκάστου τῶν βασιλέων πράξεις τὰς παρὰ τοῖς Ἕλλησι καὶ βαρβάροις γεγενημένας.* [3] supra c. 18, 5. [4] Iuba rex Mauretaniae a Caesare apud Thapsum devictus et captus est; postea in regnum restitutus plurimos libros de rebus diversissimis compilando composuit. [5] Apion grammaticus Alexandriae vixit imperantibus Tiberio et Claudio (Suid. s. v. *Ἀπίων*); librum eius Contra Iudaeos Iosephus duobus libris confutavit. [6] Thallus Samaritanus, qui imperatoris Tiberii fuisse videtur libertus, tres libros *Χρονικά* scripsit, quibus res ab excidio Troiae usque ad suam aetatem gestas complexus est. [7] confutat. [8] La Cerda censuales scriptores omnis generis esse censuit; sed cum Tert. verbo *censeri* utatur pro *originem habere*, Oehler censuales eos solos scriptores esse interpretatur, qui origines populorum rerumque primordia tradant; du Cange (s. v. census) libros censuales eos esse explicat, 'in quibus possessiones et census exhibeantur'. [9] scriptorum nomina, unde testimonia petenda sunt, summatim proponendo.

XX. *Divinitas sacrae scripturae ex vaticiniis eius vero eventu comprobatis patet.*

Plus iam offerimus pro ista dilatione: maiestatem scripturarum, si non vetustate divinas[a] probamus, si dubitatur antiquitas. Nec hoc tardius aut aliunde[1] discendum; coram sunt quae docebunt: mundus et saeculum et exitus[b 2]. 2 Quicquid agitur, praenuntiabatur; quicquid videtur, audiebatur; quod terrae vorant urbes, quod insulas maria fraudant, quod externa atque interna[c] bella dilaniant[d], quod regnis regna compulsant, quod fames et lues et locales quaeque clades et frequentiae plerumque mortium vastant, quod humiles sublimitate, sublimes humilitate mutantur[3], 3 quod iustitia rarescit, iniquitas increbrescit, bonarum omnium disciplinarum cura torpescit, quod etiam officia temporum et elementorum munia exorbitant[4], quod et monstris et portentis naturalium forma turbatur, providenter[e] scripta sunt. Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur. Idoneum, opinor, testimonium divinitatis veritas divinationis. 4 Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, iam scilicet probatorum, quia cum illis, quae cottidie probantur, praedicebantur[5]; eaedem[f] voces sonant, eaedem[f] litterae notant, idem spiritus pulsat, unum tempus est divinationi futura praefanti[g]. 5 Apud homines, si forte, distinguitur[h], dum expungitur[6], dum ex futuro praesens, dehinc ex praesenti praeteritum deputatur[7];

[a] *si non vetustate: divinas* bd Lag. [b] + *rerum* λ Lag. [c] *interna et externa* λ Lag. [d] vorarent . . . *fraudarent* . . . *dilaniarent* λ Lag. [e] *providentiae* λ Lag. [f] *eadem* λ A. [g] *praefandi* λ A Lag. [h] *distinguimur* A.

[1] e longinquo. [2] eventus eorum, quae praedixerant. [3] Cfr. c. 46: christianus femina mutat. Hor. carm. I 34, 12: Valet ima summis mutare. [4] deviant, aberrant. [5] Ea, quae praedicta iam impleta sunt, fidem faciunt iis, quae praedicta adhuc futura sunt. [6] perficitur; verbum *expungere* hoc sensu usurpatum valde familiare est Tertulliano. [7] Vulgo apud homines distinguitur tempus praeteritum, praesens, futurum; propheta vero, quae vaticinatur, ut praesentia videt.

quid delinquimus, oro vos, futura quoque credentes, qui iam didicimus illis[a] per duos gradus[1] credere?

XXI. *De Christi natura et vita.*

Sed quoniam edidimus, antiquissimis Iudaeorum instrumentis sectam istam esse subfultam, quam[b] aliquanto novellam, ut Tiberiani temporis[c], plerique sciunt profitentibus nobis quoque; fortasse an hoc nomine de statu eius retractetur[2], quasi sub umbraculo insignissimae religionis, certe licitae, aliquid propriae praesumptionis abscondat; 2 vel quia praeter aetatem neque de victus exceptionibus neque de solemnitatibus dierum neque de ipso signaculo corporis[3] neque de consortio nominis cum Iudaeis agimus, quod utique oporteret, si eidem deo manciparemur[4]. 3 Sed et vulgus iam sciunt[d] Christum ut hominum[e] aliquem, qualem Iudaei iudicaverunt, quo facilius quis nos hominis cultores existimaverit. Verum neque de Christo erubescimus, ut quos[f] sub nomine eius deputari et damnari iuvat, neque de deo aliter praesumimus. Necesse est igitur pauca[g] de Christo ut deo.

4 Totum[h] 5 Iudaeis erat apud deum gratiae praerogativa ob insignem iustitiam et fidem[i] originalium auctorum, unde illis

[a] ita (λ) DGMT Lag., *illi* ABEF Vindob. Erfurt. Oxon. o. [b] e + *scient* λ. [c] *Tiberianis temporibus ortam* λ. [d] ita λ, *scit* cet. [e] *Christum hominem utique* λ. [f] ita λ, *erubescimus cum* cet. [g] + *dicamus* λ. [h] ita (λ) ST, *tantum* Havercamp, *dudum* o (I p. 96), *dicam* o (adv. Marc. I 29 adn. d). [i] ita λ, *apud deum gratia ubi et insignis iustitia et fides* cet.

[1] tempus praesens et praeteritum. [2] disputemus. [3] de circumcisione. [4] Sensus est: 'Sectam nostram etsi multo recentior est Iudaeis et a religione eorum multum differt, eorum monumentis niti adserimus; atqui ne quis dicat nos id eapropter adserere, ut sub umbraculo insignis certeque licitae religionis lateamus, res altius repetenda est'. [5] *Totum* pro *in totum* saepe a Tertulliano usurpatur, ex. gr. adv. Marc. I 29.

et generis magnitudo et regni sublimitas floruit et tanta felicitas[a] de[b] dei vocibus[c], quibus edocebantur de[d] promerendo deo et non offendendo praemonebantur[e]. 5 Sed quanta deliquerint[f], fiducia[g] patrum inflati ad declinandam disciplinam[h] in profanum modum[i], etsi ipsi non confiterentur, probaret exitus[1] hodiernus ipsorum. Dispersi, palabundi, et soli et caeli sui extorres vagantur per orbem sine homine[2], sine deo rege, quibus nec advenarum iure terram patriam saltim vestigio salutare conceditur[3]. 6 Cum haec illis sanctae voces praeminarentur, eadem semper omnes ingerebant[4] fore, uti sub extimis curriculis saeculi ex omni iam gente et populo et loco cultores sibi adlegeret deus multo fideliores, in quos gratiam transferret, pleniorem quidem[k] ob disciplinae auctioris[l] capacitatem.

7 Venit igitur qui ad reformandam et inluminandam eam venturus a deo praenuntiabatur, Christus ille filius dei. Huius igitur gratiae disciplinaeque arbiter et magister, inluminator atque deductor[5] generis humani filius dei adnuntiabatur; non quidem ita genitus, ut erubescat in[m] filii nomine aut de patris semine[n]. 8 Non de sororis incesto nec de stupro filiae aut coniugis alienae deum patrem passus est[6] squamatum aut cornutum

[a] ita λ, + *ut* cet. [b] *unde* GM. [c] + affuit λ. [d] *quibus et docebantur* λ. [e] ita λ, *praemonerentur* cet. [f] *dereliquerint* AEGM aliique codd. [g] *ex fiducia* λ. [h] ita ego, *ad delirandum disciplinam* λ, *ad declinandum derivantes a disciplina* STo, *deviantes ab disciplina* Ios. Scaliger, *ad delirandum a disciplina* Haverc. [i] *modis* λ. [k] > λ. [l] *auctoris* λ. [m] *de* λ. [n] + *sicut de concubitu tauri* λ.

[1] *Exitus* pro *exitium* vel pro *interitus* proprium est stili Tertullianei. [2] i. e. rege. [3] Id iis post Barchochebae defectionem ab Hadriano interdictum est. Eus. h. e. IV 6, 3: *Τὸ πᾶν ἔθνος ἐξ ἐκείνου καὶ τῆς περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα γῆς πάμπαν ἐπιβαίνειν εἴργεται νόμου δόγματι καὶ διατάξεσιν Ἀδριανοῦ, ὡς ἂν μηδ' ἐξ ἀπόπτου θεωροῖεν τὸ πατρῷον ἔδαφος.* Tert. adv. Iud. 13: 'et exinde quod interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Iudaeorum.' [4] addebant. [5] Gloss. latino-gr. apud Vulcan. col. 63: deductores, *καθοδηγοί, ἀρχηγέται.* [6] nanctus est.

aut plumatum, amatorem in auro[1] conversum Danaidis[2]. Iovis ista sunt humana[a] vestra[3]. 9 Ceterum dei filius nullam de inpudicitia[4] habet matrem; etiam quam videtur habere, non nupserat. Sed prius substantiam[5] edisseram, et ita nativitatis qualitas intellegetur.

10 Iam ediximus[b] deum universitatem hanc mundi verbo et ratione et virtute molitum. Apud vestros quoque sapientes[6] *λόγον*, id est sermonem atque rationem, constat artificem videri universitatis. Hunc enim Zeno[7] determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formaverit; eundem et fatum vocari et deum et animum Iovis et necessitatem omnium rerum. Haec Cleanthes[8] in spiritum congerit, quem permeatorem universitatis adfirmat. 11 Et nos autem sermonem atque rationem itemque virtutem[c], per quae omnia molitum deum ediximus, propriam substantiam spiritum[d] inscribimus[e 9], cui et sermo insit pronun-

[a] ita λ, *nomina* Vindob., *numina* cet. [b] *diximus* λ.
[c] ita λ, *sermoni atque rationi itemque virtuti* cet. [d] > λ.
[e] *asscribimus* λ.

[1] De carne Chr. 11: (anima) in carne conversa; cfr. Hoppe, Syntax 40, 1. [2] *Danaïdis* genet. sing. videtur esse pro *Danaës*. Aurum Danaïdis est aurum, quod Danaë experta est; fabulantur enim veteres Iovem aureo imbri simulatum in Danaën descendisse et ex ea Perseum genuisse. [3] i. e. Iovem humano more haec fecisse fingitis. In codicibus praeter Fuldensem pro *humana* legitur: *numina*, quod Oehler sic explicat: 'Repetas ad haec ex praecedentibus *passa sunt;* Iovis ista stupra, inquit, vestra numina passa sunt, non Christi mater.' Non probo. [4] Inpudicitia hoc loco aut concubitus intellegenda est, aut adverbium *ceterum,* quod sequitur, interpretandum est *ἀλλά*; cfr. Hoppe, Synt. p. 108. [5] naturam. [6] Stoicos. [7] Zeno Citiensis, auctor sectae Stoicae, circiter annum 300 a. Chr. floruit. Quae de deo senserit, vide Cic. de nat. deor. I 14, 36; Diog. Laërt. VII 68, 134; Min. Fel., Oct. 19. [8] Cic. de nat. deor. I 14, 37: Cleanthes autem, qui Zenonem audivit una cum eo quem proxime nominavi (Aristone), tum ipsum mundum deum dicit esse, tum totius naturae menti atque animo tribuit hoc nomen, tum ultimum et altissimum atque undique circumfusum et extremum omnia cingentem atque complexum ardorem, qui aether nominetur, certissimum deum iudicat. [9] designamus, adpellamus.

tianti et ratio adsit disponenti et virtus praesit perficienti. Hunc ex deo prolatum didicimus et prolatione generatum et idcirco[1] filium dei et deum dictum ex unitate substantiae[2]. Nam et deus spiritus[3]. 12 Et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa; sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia sed extenditur[a]. Ita de spiritu spiritus et de deo deus[b] ut[c] lumen de lumine accensum. Manet integra et indefecta materia[d] matrix, etsi plures inde traduces qualitatis mutueris. 13 Ita et quod de deo profectum est, deus est et dei filius et unus ambo; ita[e] de spiritu spiritus et de deo deus: modulo alterum[f] numerum, gradu[4] non statu fecit, et a matrice non recessit sed excessit.

14 Iste igitur dei radius, ut retro semper praedicabatur, delapsus in virginem quandam et in utero eius caro figuratus nascitur homo deo mixtus[5]. Caro spiritu structa[g] nutritur adolescit adfatur docet operatur et Christus est. Recipite interim

[a] ita etiam Altercatio p. 143 (vide infra adnot. 3), *expanditur* λ. [b] *ita de spiritu . . . deus* > λ Altercatio l. l. Callewaert p. 349. [c] *et* λ. [d] ita λ, *materiae* cet.; cfr. Adv. Val. 16: *matrix boni materia;* De res. carn. 6: *matrix auri terra;* Adv. Marc. IV 35: *matrix virtutum bonitas.* [e] ita AET, + *et* BDFGMo. [f] ita Altercatio, *alter* λ, *alternum* cet. [g] ita λ Callewaert, *instructa* cet.; cfr. Adv. Prax. 9: *sermo spiritu structus est;* De carn. Chr. 8: *caro Christi de caelestibus structa.*

[1] non solum prolatum ut verbum a nobis dictum, verum etiam generatum in modum personae propriae. [2] Nomine *substantiae* Tert. utitur eodem prorsus sensu, quo nos *naturae*. [3] Quae secuntur usque ad verba 'operatur et Christus est' (nr. 14), leguntur etiam in libro: *Altercatio Heracliani laici cum Germinio episcopo Sirmiensi* (apud Caspari, Kirchenhistorische Anecdota 1883 p. 133 ss.), scripto anno fere 370, p. 143. [4] Vox *gradu* et quae antecedunt *portio* et *modulo* subordinatianismum sapiunt. Cfr. Adv. Prax. 14: Visibilem vero filium agnoscamus pro modulo derivationis; l. l. 2: Tres autem non statu sed gradu, nec substantia sed forma, nec potestate sed specie, unius autem substantiae et unius status et unius potestatis, quia unus deus, ex quo et gradus isti et formae et species in nomine patris et filii et spiritus sancti deputantur. [5] i. e. unitus.

hanc fabulam, similis est vestris, dum ostendimus, quomodo Christus probetur et qui penes vos eiusmodi fabulas ad destructionem veritatis istius aemulas[a] praeministraverint[b][1]. 15 Sciebant et Iudaei, venturum esse Christum, scilicet quibus prophetae loquebantur. Nam et nunc adventum eius exspectant, nec alia magis inter nos et illos compulsatio[2] est, quam quod iam venisse non credunt. Duobus enim adventibus eius significatis, primo, qui iam expunctus est in humilitate conditionis[3] humanae, secundo, qui concludendo saeculo imminet in sublimitate divinitatis exsertae[4], primum non intellegendo secundum, quem manifestius praedicatum sperant[c], unum existimaverunt. 16 Ne enim intellegerent[d] pristinum, crediturі, si intellexissent, et consecuturi salutem, si credidissent, meritum fuit delictum eorum. Ipsi legunt ita scriptum, mulctatos se sapientia et intellegentia et oculorum et aurium fruge[5].

17 Quem igitur hominem solummodo praesumpserant de humilitate, sequebatur[e], uti magum aestimarent[f] de potestate[6], cum ille verbo daemonia de hominibus excuteret[g], caecos reluminaret, leprosos purgaret, paralyticos restringeret, mortuos denique verbo redderet vitae, elementa ipsa famularet[7], compescens procellas et freta ingrediens, ostendens se esse verbum

[a] ita λ, *fabulas aemulas ad destr. ver. istiusmodi* cet. [b] *praeministraverit* A. [c] *sperabant* λ. [d] *Nec intellexerunt* λ. [e] *insequebantur* λ. [f] *existimarent* λ G. [g] + *verbo* λ.

[1] Sensus est: Recipite interim hanc fabulam (Christum de deo exisse velut lumen de lumine accensum et radium e sole radiantem) vestris similem (quibus ex. gr. narratis Iovem aurei imbris instar in Danaën descendisse), dum ostendero, quomodo Christus se ipse probet et daemones hominibus ad destruendam veritatem fabulas subministraverint. [2] dissidium, discordia. [3] creaturae. [4] manifestatae. [5] Ies. 6, 9. 10; cfr. Min. Fel., Oct. 33. [6] Lact. inst. div. V 3: Fecit mirabilia; magum putassemus, ut et vos nunc putatis et Iudaei tunc putaverunt, si non illa ipsa facturum Christum prophetae omnes uno spiritu praedicarent. [7] Cyprianus, Quod idola non sint 11: 'cogeret sibi elementa famulari.' Etiam Apol. 39 verbum *famulare* legitur pro: *facere ut famuletur.*

dei, id est *λόγον*, illud primordiale, primogenitum, virtute et ratione comitatum et spiritu fultum[a], eundem qui verbo omnia et faceret et fecisset. 18 Ad doctrinam vero eius, qua revincebantur[1] magistri primoresque Iudaeorum, ita exasperabantur, maxime quod ingens ad eum multitudo deflecteret[b], ut postremo oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romana[c] procuranti[2], violentia suffragiorum in crucem[d] dedi sibi extorserint. Praedixerat et ipse ita facturos; parum hoc, si non et prophetae retro[3]. 19 Et tamen subfixus multa mortis illius propria ostendit insignia. Nam spiritum cum verbo sponte dimisit, praevento carnificis officio[4]. Eodem momento dies medium orbem signante sole subducta est. Deliquium[5] utique putaverunt, qui id[e] quoque super Christo praedicatum non scierunt. Et tamen eum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis[6]. 20 Tunc Iudaei detractum et sepulchro conditum magna etiam militaris[f] custodiae diligentia circumsederunt, ne, quia praedixerat, tertia die resurrecturum se a morte, discipuli furto amoliti cadaver fallerent suspectos[7]. 21 Sed ecce tertia die[g] concussa repente terra et mole revoluta, quae obstruxerat sepulcrum, et custodia pavore disiecta, nullis adparentibus discipulis nihil in sepulcro repertum est praeterquam exuviae sepulti[h]. 22 Nihilominus tamen primores[i], quorum intererat et scelus divulgare et populum vectigalem et famularem sibi a fide revocare[k], subreptum a discipulis iactitaverunt. Nam nec ille se in vulgus eduxit, ne inpii

[a] *suffultum* GM. [b] *conflueret λ.* [c] *Romanam λ.* [d] ita *λ*, + *Iesum* cet. [e] *quid* (pro: *qui id*) AM. [f] ita *λ*, *militari manu* cet. [g] *sed ad tertium diem λ.* [h] *praeter exuvias sepulturae λ.* [i] *Iudaeorum λ.* [k] *avocare λ.*

[1] convincebantur. [2] immo Iudaeam. In eundem errorem incidit Lact. inst. div. IV 18: 'qui tum legatus Syriam regebat. [3] Parum esset, nisi etiam prophetae prius praedixissent. [4] Solebant carnifices crura eorum, qui cruci adfixi erant, ad accelerandam mortem subfringere. [5] solis obscurationem. [6] Eam solis defectionem miram fuisse in tabulariis vestris relatum habetis. [7] suspiciosos vel suspicaces.

errore liberarentur, ut et[a] fides, non mediocri praemio destinata, difficultate constaret. 23 Cum discipulis autem quibusdam apud Galilaeam, Iudaeae regionem[b], ad quadraginta dies egit docens eos quae docerent. Dehinc ordinatis eis ad officium praedicandi per orbem, circumfusa nube in caelum est receptus[c] multo verius quam apud vos adseverare de Romulis[d] Proculi solent[1].

24 Ea omnia super Christo Pilatus, et ipse iam pro sua conscientia christianus, Caesari tunc Tiberio nuntiavit[2]. Sed et Caesares credidissent super Christo, si aut Caesares non essent necessarii saeculo[3], aut si[e] et christiani potuisset esse Caesares. 25 Discipuli vero[f] diffusi per orbem ex praecepto magistri dei paruerunt, qui et ipsi a Iudaeis insequentibus multa perpessi utique pro fiducia veritatis libenter Romae postremo per Neronis saevitiam sanguinem christianum seminaverunt[4]. 26 Sed monstrabimus vobis idoneos testes Christi ipsos illos, quos adoratis. Multum est[5] si eos adhibeam, ut credatis christianis, propter quos non creditis christianis. Interim hic est ordo nostrae institutionis, hunc edidimus[g] et sectae et nominis censum[6] cum suo auctore.

27 Nemo iam infamiam incutiat[h], nemo aliud existimet, quia nec fas est ulli de sua religione mentiri. Eo[i] enim quod

[a] *sed ut λ.* [b] *regionis λ.* [c] *ereptus λ.* [d] ita *λ*, *Romulo* cet. [e] > *λ.* [f] ita *λ*, *quoque* cet. [g] edimus *λ.* [h] *concutiat λ.* [i] ita *λ*, *Ex eo* cet.

[1] Cic. de republ. II 10, 20: ‘Sed profecto tanta fuit in eo vis ingenii atque virtutis, ut id de Romulo Proculo Iulio homini agresti crederetur, quod multis iam ante saeculis nullo alio de mortali homines credidissent: qui inpulsu patrum, quo illi a se invidiam interitus Romuli pellerent, in contione dixisse fertur a se visum esse in eo colle Romulum, qui nunc Quirinalis vocatur; eum sibi mandasse ut populum rogaret, ut sibi eo in colle delubrum fieret, se deum esse et Quirinum vocari.’ A Plutarcho (Rom. 28) Proculus patricius genere et Romulo ipsi familiaris vocatur. [2] supra c. 5, 2. [3] imperio Romano, quod usque ad finem temporum duraturum esse dicebant. [4] inprimis Petrus et Paulus apostoli. [5] Locutiones: *parum est*, *multum est*, *plus est*, *prius est* Tertullianus frequentat. [6] originem.

aliud a se coli dicit quam colit, negat quod colit, et culturam et honorem in alterum transfert et transferendo iam non colit quod negavit[1]. 28 Dicimus et palam dicimus et vobis torquentibus lacerati et cruenti[a] vociferamur: *Deum colimus per Christum.* Illum hominem putate, per eum et in eo se cognosci et coli deus vult. 29 Ut Iudaeis respondeam[b], et ipsi dominum per hominem Moysen colere didicerunt; ut Graecis occurram, Orpheus Pieriae, Musaeus Athenis[2], Melampus Argis[3], Trophonius Boeotiae[4] initiationibus homines obligaverunt; ut ad vos quoque dominatores gentium adspiciam[c], homo fuit Pompilius Numa, qui Romanos operosissimis superstitionibus[5] oneravit. 30 Licuerit et Christo commentari divinitatem, rem propriam[d 6]; non qua rupices[e 7] et adhuc feros homines multitudini tot numinum[f] demerendorum adtonitos[8] efficiendo ad humanitatem temperaret, quod[g] Numa, sed qui[h] iam expolitos et ipsa urbanitate deceptos in agnitionem veritatis ocularet. Quaerite igitur si vera est[i] ista divinitas Christi. 31 Si ea est, qua cognita ad bonum quis

[a] *cruentati* λ. [b] ita λ, *respondeamus* cet. [c] *convertar* λ. [d] *rem propriam* > λ. [e] *rudes* λ. [f] *nominum* λ A, *hominum* M. [g] *quo* λ. [h] *quia* AM alii, *quod* λ. [i] *sit* λ.

[1] Sensus est: Ne quis rumores illos, qui de nobis feruntur, nobis obiciat neve quid aliud de nobis credat, nisi ea, quae ipsi profitemur; namque in rebus fidei dissimulare aut mentiri idem esset ac fidem negare. [2] Orpheus Thrax et Musaeus, sive ex Thracia sive ab Eleusine oriundus, carmina piacularia composuisse dicuntur; cfr. Aristoph. ranae 1032: *Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε φόνων τ' ἀπέχεσθαι, | Μουσαῖος δ' ἐξακέσεις τε νόσων καὶ χρησμούς.* Plat., Prot. 316d. [3] De Melampode vate, qui primum in Messenia, deinde Argis vixit, cfr. Od. XI 287 ss.; XV 225 ss.; Herod. II 49. [4] Trophonius cum Agamede fratre templum Delphicum construxit; postea Lebadeae in Boeotia terrae hiatu haustus ibi oraculum habebat. [5] Superstitiones Numae etiam Tert. de praescr. 40 et Arnobius II 12 commemorant. [6] Divinitas, ut ait Tert., est res Christi propria. [7] Rupex est homo rudis seu rusticus (nostrum: Rüpel). [8] Qui adtonitus est, prae metu cautus esse solet; hinc saepe *adtonitus* pro *adtentus* usurpatur.

reformatur, sequitur, ut falsae renuntietur comperta in primis illa omni ratione, quae delitisceus[a] sub nominibus et imaginibus mortuorum quibusdam signis et miraculis et oraculis fidem divinitatis operatur[1].

XXII. *Daemones esse et quomodo operentur, exponitur.*

Atque adeo dicimus esse substantias quasdam spiritales. Nec novum nomen est; sciunt daemonas[b] philosophi[2], Socrate ipso ad daemonii arbitrium exspectante. Quidni? cum et[c] ipsi daemonium a pueritia adhaesisse dicatur, dehortatorium plane a bono[3]. 2 Omnes sciunt poëtae, etiam vulgus indoctum in usu[d] maledicti[e] frequentat. Nam et Satanan, principem huius mali generis, proinde de propria conscientia animae eadem exsecramenti voce pronuntiat[4]. Angelos quoque etiam Plato non negavit[5]. Utriusque nominis testes esse vel magi adsunt[6]. 3 Sed quomodo de angelis quibusdam sua sponte corruptis corruptior gens

[a] ita AB et cod. Agobard. Ad nat. I 16 (88, 19). [b] ita λ, *daemones* cet. [c] > λ. [d] *in usum* (λ) DEGMT Gorz. o. [e] *maledictis* DEFab Haverc.

[1] Multa, quae in hoc capite leguntur, repetivit s. Cyprianus, Quod idola non sint c. 12—14. [2] Eus. praep. ev. V 4. [3] De daemonio Socratis agunt Plato apol. 31 d et Xenoph. mem. I 1, 4; IV 3, 13. Per daemonium Socratem a bono aversum esse solus Tert. adserit, qui, postquam ad fidem Christi transiit, ita philosophiam gentilium contempsit, ut ipsi Socrati malediceret, etsi is teste s. Iustino homines a pravis daemonibus avocare studuit (apol. I 5; II 10). Tert. de anima 1: Socrates facilius diverso spiritu agebatur, siquidem aiunt daemonium illi a puero adhaesisse, pessimum revera paedagogum. [4] Non nomen Satanae vulgus pronuntiat, sed: '*malum*'. *De propria conscientia* significat: instinctu animae naturaliter christianae. [5] Daemones apud Platonem dii sunt inferiores vel deorum filii; ex. gr. Apol. 27 d: *εἰ δ' αὖ οἱ δαίμονες θεῶν παῖδές εἰσι νόθοι τινὲς ἢ ἐκ νυμφῶν ἢ ἔκ τινων ἄλλων.* [6] Min. Felix, Oct. 26: Magi quoque non tantum sciunt daemonas, sed etiam quicquid miraculi ludunt, per daemonas faciunt. — *Adesse* c. inf. est graecismus; cfr. Sil. Ital. IX 532: non Teucros delere aderam.

daemonum evaserit, damnata a deo cum generis auctoribus et[a], quem diximus, principe[b], apud litteras sanctas ordo[c] cognoscitur[1].

4 Nunc de operatione eorum satis erit exponere. Operatio eorum est hominis eversio; sic malitia spiritalis a primordio auspicata est in hominis exitium. Itaque corporibus quidem et valetudines infligunt et aliquos casus acerbos, animae vero repentinos et extraordinarios per vim excessus. Subpetit illis ad utramque substantiam hominis adeundam[d] subtilitas et tenuitas sua. 5 Multum spiritalibus viribus licet, ut invisibiles et insensibiles in effectu potius quam in actu suo adpareant, si poma, si fruges nescio quod aurae latens[e] vitium in flore praecipitat, in germine exanimat, in pubertate convulnerat, ac si caeca ratione temptatus aër pestilentes haustus suos obfundit. 6 Eadem igitur obscuritate contagionis adspiratio daemonum et angelorum mentis quoque corruptelas agit furoribus et amentiis foedis aut saevis libidinibus cum[f] erroribus variis, quorum iste potissimus, quo deos istos captis et circumscriptis hominum mentibus commendat, ut et sibi pabula propria nidoris et sanguinis procuret simulacris et[g] imaginibus oblata[2]. 7 Et quae illis[h] adcuratior pascua est, nisi ut[i] hominem a recogitatu[k] verae divinitatis avertant[l] a praestigiis falsis[m]? Quas et ipsas quomodo operentur[n] expediam.

[a] ita λ, + *cum eo* cet. [b] *principem* λ. [c] ita λ A, *ordine* T. [d] + *mira* λ. [e] *latentis* λ. [f] *et* λ. [g] ita λ, > cet. [h] ita λ, *illi* cet. [i] ita λ, *quam* (sine *ut*) S (etiam AM), *quam ut* o. [k] ita λ, *e cogitatu* cet. [l] ita λ, *avertat* cet. [m] *praestigiis falsae divinationis* λ. [n] ita λ, *operetur* cet.

[1] Adludit ad Gen. 6, 2 (ubi pro 'filii dei' in LXX legitur *ἄγγελοι τοῦ θεοῦ*). Hunc locum scriptores ecclesiastici saeculo II. et III. praeter Origenem omnes fere de angelis interpretati sunt, librum apocalypticum Henoch secuti; ita Iust. apol. II 5: *οἱ ἄγγελοι παραβάντες τήνδε τὴν τάξιν γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν, οἵ εἰσιν οἱ λεγόμενοι δαίμονες.* [2] 1 Cor. 10, 20: *ἃ θύει τὰ ἔθνη, δαιμονίοις θύει καὶ οὐ θεῷ.* Iust. apol. I 21; Athenagoras suppl. 27: *οἱ περὶ τὴν ὕλην δαίμονες, λίχνοι περὶ τὰς κνίσσας καὶ τὸ τῶν ἱερείων αἷμα ὄντες* squ.

8 Omnis spiritus ales est: hoc[a] angeli et daemones. Igitur momento ubique sunt. Totus orbis illis locus unus est; quid ubi geratur tam facile sciunt quam adnuntiant. Velocitas divinitas creditur, quia substantia ignoratur. Sic et auctores interdum videri volunt eorum, quae adnuntiant. 9 Et sunt plane malorum nonnumquam, bonorum tamen numquam. Dispositiones etiam dei et tunc prophetis contionantibus exceperunt[b] et nunc lectionibus resonantibus carpunt. Ita et hinc sumentes quasdam temporum sortes aemulantur divinitatem, dum furantur divinationem. 10 In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus[c], sciunt Croesi[1], sciunt Pyrrhi[2]. Ceterum testudinem decoqui cum carnibus pecudis[d], Pythius eo modo renuntiavit, quo supra diximus[3]; momento apud Lydiam fuerant[e]. Habent[f] de incolatu aëris[4] et de vicinia siderum et de commercio nubium caelestes sapere paraturas[5], ut et pluvias, quas iam sentiunt, repromittant. 11 Benefici[g] plane[6] et circa curas[h] valetudinum. Laedunt enim primo, dehinc remedia praecipiunt ad miraculum nova sive contraria, post quae desinunt laedere, et curasse creduntur. 12 Quid ergo de ceteris ingeniis vel etiam

[a] + *et* λ. [b] ita λ, *excerpunt* cet. [c] *eventum* λ.
[d] *pecoris* λ. [e] ita λ, *fuerat* cet. [f] *habens* ST, *habentes* λ.
[g] *venefici* λ. [h] *medicinas* λ.

[1] Herod. I 47. [2] Cic. de divin. II 56, 116: Quis enim est, qui credat Apollinis ex oraculo Pyrrho esse responsum: *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse?* Primum latine Apollo numquam locutus est; deinde ista sors inaudita Graecis est; praeterea Pyrrhi temporibus iam Apollo versus facere desierat. [3] Croeso oraculum consulenti, quid ipse in Lydia ageret, responsum est Delphis (Her. l. l.): *Ὀδμή μ' ἐς φρένας ἦλθε κραταιρίνοιο χελώνης | ἑψομένης ἐν χαλκῷ ἅμ' ἀρνείοισι κρέεσσιν, | ἦ χαλκὸς μὲν ὑπέστρωται, χαλκὸν δ' ἐπιέσται.* [4] Scriptores ecclesiastici vetustiores passim locum Eph. 6, 12 ita intellexerunt, ut angelos malos in inferioribus aëris partibus semper versari arbitrarentur. [5] Paratura (id quod paratur, adparatus) vox est Tertulliano usitatissima. [6] *Plane* adverbio Tert. saepe ironice utitur pro *sane* (Hoppe, Syntax p. 112).

viribus fallaciae spiritalis edisseram[a]? phantasmata Castorum[1] et aquam cribro gestatam[2] et navem cingulo promotam[3] et barbam tactu inrufatam[4], ut numina lapides crederentur, ut deus verus non quaereretur[b]?

XXIII. *Dii gentilium daemones sunt, quia eundem furorem operantur et a christianis in nomine Christi adiurati daemones se esse profitentur.*

Porro si et magi phantasmata edunt et iam defunctorum infamant animas[5], si pueros in eloquium oraculi elidunt[c 6], si

[a] + *dum oracula profitetur dum miracula exercet λ.* [b] *non quae effecerint λ.* [c] *edunt λ.*

[1] Val. Max. I 8, 1: Cum apud lacum Regillum A. Postumius dictator et Tusculanorum dux Mamilius Octavius magnis viribus inter se concurrerent ac neutra acies aliquamdiu pedem referret, Castor ac Pollux Romanorum partium propugnatores visi, hostiles copias penitus fuderunt. Cic., Tusc. I 12, 28. [2] Val. Max. VIII 1, 5: Eodem auxilii genere Tuccia virginis Vestalis, incesti criminis reae, castitas infamiae nube obscurata emersit. Quae conscientia certa sinceritatis suae spem salutis ancipiti argumento ausa petere est; arrepto enim cribro: 'Vesta, inquit, si sacris tuis castas semper admovi manus, effice, ut hauriam e Tiberi aquam et in aedem tuam perferam.' Audaciter et temere iactis votis sacerdotis rerum ipsa natura cessit. Plin. nat. h. XXVIII 2, 12. [3] Agitur de Claudia Quinta, quae anno 204 a. Chr. in suspicionem adulterii adducta, cum simulacrum Magnae matris ex Phrygia Romam adveheretur et navis ad ostium amnis Tiberini in vado haereret, deam precata est, ut castitatem suam testaretur; deinde sola muliercula zona sua navem movisse et traxisse fertur; cfr. Ovid. fast. IV 295 ss.; Liv. XXIX 14, 10—13; Aug. de civ. dei X 16. [4] L. Domitio Ahenobarbo mirum in modum capillus e nigro rutilus aerique similis reddita esse dicitur; cfr. Suet., Nero 1. [5] De evocatione animarum humanarum, quam nos spiritismum vocamus, etiam s. Iustinus loquitur Ap. I 18, 3: *ψυχῶν ἀνθρωπίνων κλήσεις.* [6] Verbum *elidere* in libris Tertulliani significat *interficere*. Puerorum immolatorum ex intestinis vaticinabantur veteres, rati eorum animas sibi adsistere et futura revelare: cfr. Iust. l. l.: *αἱ ἀδιαφθόρων παίδων ἐποπτεύσεις;* Eus. h. e. VII 10; VIII 14.

multa miracula circulatoriis praestigiis ludunt, si et somnia inmittunt, habentes semel[1] invitatorum angelorum et daemonum adsistentem sibi potestatem[2], per quos et caprae[3] et mensae divinare[4] consuerunt: quanto magis ea potestas de suo arbitrio et pro suo negotio studeat totis viribus operari, quod alienae praestat negotiationi? 2 Aut si eadem et angeli et daemones operantur, quae et dei vestri, ubi est ergo praecellentia divinitatis, quam utique superiorem omni potestate credendum est[a]? Non ergo dignius praesumetur ipsos esse, qui se deos faciant, cum eadem edant, quae faciant deos credi, quam pares angelis et daemonibus deos[b] esse? 3 Locorum differentia distinguit[c], opinor, ut a[d] templis deos existimetis, quos alibi deos non dicitis; ut aliter dementire videatur qui sacras turres pervolat, aliter qui tecta viciniae transilit; et alia vis pronuntietur in eo, qui genitalia vel lacertos, alia[e] qui sibi gulam prosecat[f5]. Compar[g] exitus furoris, et una ratio est instigationis[6].

a *quae utique superior omni potestate credenda est* λ. b *pares angeli et daemones* λ. c ita λ, *distinguitur* cet. d *in* λ. e + *in eo* λ. f *prosectam* λ. g *compara* λ et alii codd.

[1] nostrum: ein für allemal. [2] Iust. l. l.: *οἱ λεγόμενοι παρὰ τοῖς μάγοις ὀνειροπομποὶ καὶ πάρεδροι;* Eus. h. e. IV 7: *ὀνειροπομποῖς καὶ παρέδροις τισὶ δαίμοσιν.* Magi adsistentes sibi et obsequentes habebant daemones, qui erant iis paredri et quorum opera miracula edebant; per eosdem spiritus etiam aliis hominibus somnia inmittebant. [3] Caprae ad divinandum ab hominibus informatae etiam ab Eusebio (praep. ev. II 3, Migne p. gr. XXI 121) commemorantur. [4] Exemplum insigne mensae divinantis exstat apud Amm. Marc. XXIX 1, 29 ss.: 'Construximus, inquit, magnifici iudices, ad cortinae similitudinem Delphicae diris auspiciis de laureis virgulis infaustam hanc mensulam, quam videtis, et inprecationibus carminum secretorum choragiisque multis ac diuturnis ritualiter consecratam movimus tandem; movendi autem, quotiens super rebus arcanis consulebatur, erat institutio talis' squ. [5] Significat Gallos et Bellonarios, i. e. sacerdotes Magnae matris et Bellonae. [6] At Minucius Felix (Oct. 27) habet ita: par et in illis instigatio daemonis, sed argumentum dispar furoris.

4 Sed hactenus verba; iam hinc demonstratio rei ipsius, qua ostendemus, unam esse utriusque nominis qualitatem. Edatur hic aliqui[a] ibidem sub tribunalibus vestris[b], quem daemone agi constet; iussus a quolibet christiano loqui spiritus ille tam se daemonem confitebitur de vero quam alibi deum[c] de falso[d]. 5 Aeque producatur aliquis ex his, qui de deo pati[1] existimantur, qui aris inhalantes[e] numen de nidore concipiunt[2], qui ructando curantur, qui anhelando praefantur[3]. 6 Ista ipsa Virgo Caelestis, pluviarum pollicitatrix[4], ipse iste Aesculapius, medicinarum demonstrator[5], alia die[f] morituris[g] Socordio et Tenatio[h] et Asclepiodoto[6] vitae[i] subministrator[k], nisi se daemonas[l] confessi

a > λ. b *sub tribunali vestro* λ. c ita λ DEFT Vindob. Erfurt. Oxon., *dominum* ABGMo; van der Vliet p. 37: *dominus* et *deus* perpetuo confunduntur errore. d *confitebitur in vero est quod alibi deum quod in falso est* λ. e *inhalantibus* λ. f *aliam diem* o. g *moriturus* λ. h *tanatio* λ, *denatio* A et codd. omnes fere. i ita λ, > cet. k ita λ aliique cod. et edit. bcd, *sumministratur* ABDEGM Bongars. Ambros., *sumministraturi* o. l ita λ, *daemones* cet.

1 Pulchre dicit vates: *de deo pati;* cfr. Verg., Aen. VI 77: 'at Phoebi nondum patiens.' Eiusmodi homines Graeci vocabant: *ἔνθεοι, θεόληπτοι, ἐνθουσιαστικοί.* 2 Aris inhalantes arioli de nidore (i. e. ex odore victimae) vim divinam concipiunt. 3 *Ἐνθουσιαστικοί* eructando sanantur anhelandoque vaticinantes concepto deo quasi liberantur. Apuleius met. VIII 27: Inter haec unus ex illis bacchatur effusius ac de imis praecordiis anhelitus crebros referens velut numinis divino spiritu repletus simulabat sauciam vecordiam, quasi deum praesentia soleant homines non sui fieri meliores, sed debiles effici vel aegroti. 4 Virgo vel Iuno Caelestis, cui etiam Uraniae nomen erat, in arce Carthaginis colebatur, qua urbe eversa evocata et Romam translata est. Haec dea eadem erat atque Astarte Phoenicum; in nummis Carthaginiensibus ficta est leoni insidens fulmenque dextra, sinistra lancem gestans. Velut deam pluviam eam in Africa imploratam esse ex hoc solo Tertulliani loco discimus. Preller-Jordan, Röm. Mythologie II[3] 406 s.; Muenter, Religion der Karthager, 2. edit., 62. 5 Aesculapius deus medicinis et auguriis praeerat; adsociabantur ei Salus et Hygiea, aliquando etiam Caelestis dea; ex. gr. Orelli inscr. nr. 1943 (C. I. Lat. III 993): Caelesti Augustae et Aesculapio Augusto et genio Carthaginis et genio Daciarum. 6 Haec tria nomina sunt crux

fuerint, christiano mentiri non audentes, ibidem illius christiani procacissimi sanguinem fundite!

7 Quid isto opere manifestius? Quid hac probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio est, virtus illi sua adsistit; nihil suspicari licebit. Magia aut aliqua eiusmodi fallacia fieri dicetis, si[a] oculi vestri et aures permiserint vobis. 8 Quid autem inici potest adversus id, quod ostenditur nuda sinceritate? Si altera parte vere dei sunt, cur sese daemonas[b] mentiuntur? an ut nobis obsequantur? Iam ergo subiecta est christianis divinitas vestra; nec utique[c] divinitas deputanda est, quae subdita est homini, etsi quid ad dedecus facit, aemulo suo[d 1]. 9 Si altera parte daemones sunt vel angeli, cur se alibi pro deis agere respondent? Nam sicut illi, qui dei habentur, daemonas[e] se dicere noluissent, si vere dei essent, scilicet ne se de maiestate deponerent, ita et isti, quos directo daemonas nostis, non auderent alibi pro deis agere, si aliqui omnino dei essent, quorum nominibus utuntur; vererentur enim abuti maiestatem[f] superiorum[g] sine dubio et timendorum. 10 Adeo nulla est divinitas ista, quam tenetis, quia si esset, neque a daemoniis adfectaretur[h] in confessione neque a deis negaretur. Cum ergo utraque pars concurrit in confessionem deos esse negans, agnoscite unum genus esse, id est daemonas[i] utrobique.

11 Iam deos quaerite; quos enim praesumpseratis[k], daemonas esse cognoscitis. Eadem vero opera nostra ab eisdem deis vestris non tantum hoc detegentibus, quod neque ipsi dei

[a] ita λ, *'fieri dicitis? non dicetis si'* o, *fieri dictis non dicetis si* cet. [b] ita λ, *daemonia* cet. [c] ita λ, > cet. [d] ita λ, *aemulis suis* cet. [e] ita ego, *daemones* cet. [f] ita ABM, *maiestate* o cum aliis; cfr. Hoppe, Syntax p. 16. [g] ita λ G, *superiorem* d, *superiore* cet. [h] + *neque* λ. [i] ita λ, + *verum* cet. [k] + *deos esse iam* λ.

interpretum; alii iis tres homines indicari arbitrantur, quibus Aesculapius vitam paucis horis produxerit; alii, ut Kellner, ea nomina herbarum salutarium interpretantur. [1] inimico suo.

sint neque ulli alii, etiam illud in continenti[1] cognoscitis[a], qui[b] sit vere deus, et an ille et an unicus, quem christiani profitemur, et an ita credendus colendusque, ut fides, et[c] disciplina disposita est christianorum. 12 Dicent ibidem[d 2]: Et quis ille Christus cum sua fabula? si homo communis conditionis, si magus, si post mortem de sepulchro a discipulis subreptus, si nunc[e] denique penes inferos, si non in caelis potius et inde venturus cum totius mundi motu, cum orbis horrore, cum planctu omnium, sed non christianorum, ut dei virtus et dei spiritus et sermo et sapientia et ratio et dei filius[f]? 13 Quodcumque ridetis, rideant et illi vobiscum; negent Christum omnem ab aevo[g] animam restituto corpore iudicaturum; dicant huic[h] tribunali, si forte[3], Minoën[i] et Rhadamanthum secundum consensum Platonis et poëtarum[k] esse sortitos. 14 Suae saltim ignominiae et damnationis notam refutent; renuant[l] se inmundos spiritus esse, quod vel ex pabulis eorum, sanguine et fumo et putidis rogis[m] pecorum, et inpuratissimis linguis ipsorum vatum intellegi debuit; renuant ob malitiam praedamnatos se in eundem iudicii diem cum omnibus cultoribus et operationibus suis.

15 Atquin omnis haec nostra in illos dominatio et potestas de nominatione[n] Christi[4] valet et de commemoratione eorum, quae sibi a deo per arbitrum Christum imminentia exspectant. Christum timentes in deo et deum in Christo subiciuntur servis dei et Christi. 16 Ita de contactu deque adflatu nostro, con-

[a] *cognoscetis* λ. [b] *quid* ABDGM. [c] ita λ, *ut* cet. [d] *dicentibus nobis idem* λ. [e] *sine hunc* λ. [f] *ut ratio ut dei filius et dei omnia* λ. [g] *habebo* AGM. [h] ita ego, *hoc* λ, *hoc pro* cet.; cfr. c. 2: *latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur.* [i] ita AM, *Minoëm* o. [k] ita λ, + *hoc* cet. [l] ita λ, *renuntiant* ABDEM et alii codd., *renuntient* FGT. [m] *rogiis* AM. [n] *dominatione* λ.

[1] confestim (*συνεχῶς*). [2] eodem tempore. [3] si libet. [4] Irenaeus adv. haer. II 6, 2: Domini nostri nomini subiecta sunt omnia; . . . et propter hoc Iudaei usque nunc hac ipsa adfatione daemonas effugant.

templatione et repraesentatione ignis illius correpti etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti et dolentes et vobis praesentibus erubescentes. Credite illis, cum verum de se locuntur[a], qui mentientibus creditis. 17 Nemo ad suum dedecus mentitur, quin[b] potius ad honorem. Magis fides proxima[1] est adversus semetipsos confitentes quam pro semetipsis negantes. 18 Haec denique testimonia deorum vestrorum christianos facere consuerunt; quam plurimum illis credendo per Christum et in deum[c] credimus. Ipsi litterarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostrae fidentiam aedificant[2]. 19 Colitis illos, quod sciam, etiam de sanguine christianorum. Nollent itaque vos tam fructuosos, tam officiosos sibi amittere, vel ne a vobis quandoque[d] christianis fugentur, si illis sub christiano, volente vobis veritatem probare, mentiri liceret[3].

XXIV. *Inmerito a gentilibus christiani inreligiositatis incusantur; libertas religionis nemini adimenda est et a Romanis omni nationi conceditur; sed apud eos 'quodvis colere ius est praeter deum verum'.*

Omnis ista confessio illorum, qua se deos negant esse quaque non alium deum respondent[4] praeter unum, cui nos mancipamur, satis idonea est ad depellendum crimen laesae[e] maxime Romanae religionis. Si enim non sunt dei pro certo, nec religio pro certo est; si religio non est, quia nec dei, pro certo, nec nos pro certo rei sumus laesae religionis. 2 At e contrario in vos exprobratio ista[f] resultabit[g], qui mendacium colentes veram

a ita AM. b *sed* λ. c ita λ, *in Christo domino* cet. d ita (λ) DT, + *a* cet. codd. et o. e + *publice et* λ. f ita ego, *re ista* λ, > cet. g ita λ Fb, *resultavit* cet.

1 magis proxima, i. e. promptior, manifestior. Min. Felix, Oct. 19: nonne apertius proximius verius? 2 De idol. 10: hinc prima diabolo fides aedificatur. 3 Sensus est: Si coram christiano exorcizante mentiri eis liceret, id certe facerent, ne et vos tam officiosos amitterent et a vobis, si quando Christi fidem amplexi eritis, fugarentur. 4 spondent, adfirmant.

religionem veri dei non modo neglegendo, quin insuper expugnando, in verum committitis crimen verae inreligiositatis[a].

3 Nunc ut constaret illos deos esse, nonne conceditis[b] de aestimatione communi aliquem esse sublimiorem et potentiorem, velut principem mundi perfectae maiestatis[c 1]? Nam et sic plerique disponunt divinitatem, ut imperium summae dominationis esse penes unum, officia[d] eius penes multos velint, ut Plato Iovem magnum in caelo comitatum exercitu describit deorum pariter et daemonum. 4 Itaque oportere et procurantes et praefectos et praesides pariter suspici[e 2]. Et tamen quod facinus admittit qui magis ad Caesarem promerendum et operam[f] et spem suam transfert nec adpellationem dei, ita ut imperatoris, in alio quam principe[g] confitetur, cum capitale esse iudicetur, alium praeter Caesarem[h] et dicere et audire[3]? 5 Colat alius deum, alius Iovem; alius ad caelum manus supplices tendat, alius ad aram Fidei[4] manus[i]; alius, si hoc putatis, nubes numeret orans, alius lacunaria[5]; alius suam animam deo suo voveat,

[a] *religiositatis* λ GM. [b] *concederetis* λ. [c] ita λ, *perfectae peritiae maiestatis* S (etiam A), *perf. peritiae et maiestatis* T, *perf. potentiae et mai.* Fo. [d] + *vero* λ. [e] *suspicari* λ. [f] *opera* ABEGM alii codd. [g] ita Havercamp, *in aliquam principe* A, *in aliquem principem* (λ) BDEab, *in aliquo principe* FGMcdo. [h] Inmerito post *Caesarem* van der Vliet (p. 38) repetit: *Caesarem;* cfr. c. 40, 3: *Si habens Caesarem alterum adpelles* squ. [i] ita S (etiam A) ab, *fidem manus* λ, > *manus* cdo.

[1] Ita argumentatur: Licet revera dii sint, tamen unus ex illis erit princeps seu summus; quomodo igitur accusamur laesae religionis, si hunc deum supremum colimus? [2] observari, coli. [3] Scelus non admittit, qui reverentiam, quam Caesari debet, in alterum non transfert. [4] Liv. I 21 ita de Numa Pompilio: Soli, inquit, Fidei solemne (i. e. cultum) instituit. Aug. de civ. dei IV 20: Sed cur et Fides dea credita est et accepit etiam ipsa templum et altare? [5] Christiani plerumque in areas conveniebant ibique orantes caelum suspiciebant absque aris, absque statuis; itaque ethnici eos deridebant, tamquam nubes orando numerarent. Hanc absurditatem Tert.

alius hirci[a]. 6 Videte enim, ne et hoc ad inreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis et interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mihi colere quem velim, sed cogar colere quem nolim. Nemo se ab invito coli volet, ne homo quidem[1].

7 Atque adeo et Aegyptiis permissa est tam vanae superstitionis potestas avibus et bestiis consecrandis et capite damnandis, qui aliquem huiusmodi deum occiderit[2]. Unicuique etiam provinciae et civitati suus deus est, ut Syriae Atargatis[b 3], ut Arabiae Dusares[4], ut Noricis Belenus[5], ut Africae Caelestis, ut Mauritianae reguli sui. 8 Romanas, ut opinor, provincias edidi, nec tamen Romani dei[c] earum, quia Romae non magis coluntur quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur: Casiniensium Deluentinus, Narniensium Visidianus, Asculanorum Ancharia, Volsiniensium. Nortia[6], Ocriculanorum

[a] *alias hircum* λ. [b] ita λ et Ad nat. II 8, *Astartes* cet. [c] ita λ, *Romanos deos* cet.

ita hoc loco refellit: Nos nubes numeramus, vos lacunaria templorum. Iuvenalis IV 96: Quidam sortiti metuentem sabbata patrem | nil praeter nubes et caeli numen adorant. [1] Indulgentiam laudat in rebus divinis, quam veteres imperatores Romani maximam partem adversus christianos foede neglexerunt. [2] Aegyptii tanta fruuntur cultus libertate, ut aves bestiasque iis consecrare liceat, et ut capite damnent, si quis aliquem eiusmodi deum occiderit. [3] Atargatis seu Derketo a Romanis vulgo dea Syria nominabatur. Plut., Crass. 17 de ea sic agit: *ἣν οἱ μὲν Ἀφροδίτην, οἱ δὲ Ἥραν, οἱ δὲ τὴν ἀρχὰς καὶ σπέρματα πᾶσιν ἐξ ὑγρῶν παρασχοῦσαν αἰτίαν καὶ φύσιν νομίζουσι καὶ τὴν πάντων εἰς ἀνθρώπους ἀρχὴν ἀγαθῶν καταδείξασαν.* Diod. II 4, 10 deam Derketo Ascalonitarum ita depingit: *τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικός, τὸ δ' ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος.* Lucianus librum scripsit De dea Syria. Cfr. Preller-Jordan, Röm. Myth. II 396—398. [4] Dusares maxime in Arabia Petraea et Nabataea colebatur. Puteolis in Italia hic titulus inventus est (Orelli-Henzen inscr. III nr. 5828): Dusari sacrum. [5] Belenus seu Belinus, ab Herodiano (VIII 3, 8) *Belis* et in titulis (C. I. L. III 733 ss.) Apollo Belenus vocatus, inprimis Aquileiae colebatur. [6] Volsiniis in templo deae Nortiae quotannis clavus fixus est, ut Romae in templo Iovis Capitolini.

Valentia[1], Sutrinorum Hostia, Faliscorum in honorem[a] patris Curis et accepit cognomen Iuno[2]. 9 Sed nos soli arcemur a religionis proprietate. Laedimus Romanos nec Romani habemur, quia nec[b] Romanorum deum colimus. 10 Bene quod[3] omnium deus est, cuius, velimus aut nolimus, omnes sumus. Sed apud vos quodvis colere ius est praeter deum verum, quasi non hic magis omnium sit[c], cuius omnes sumus.

XXV. *Romani ut in tantum sublimitatis efferrentur, non religiositate a diis impetrarunt.*

Satis quidem mihi videor probasse de falsa et vera divinitate, cum demonstravi, quemadmodum probatio consistat, non modo disputationibus nec argumentationibus, sed ipsorum etiam testimoniis[d], quos deos creditis, ut nihil iam ad hanc causam sit retractandum. 2 Quoniam tamen Romani nominis proprie intercedit auctoritas[e], non omittam[f] congressionem, quam provocat illa praesumptio dicentium, Romanos pro merito religiositatis diligentissimae[4] in tantum sublimitatis elatos[g], ut orbem occuparint, et adeo deos esse[5], ut praeter ceteros floreant, qui illis officium praeter ceteros faciant.

[a] ita λ o, *honore* cet. [b] ita λ, *qui non* So, *quia non* T. [c] ita λ, + *deus* cet. [d] + *de Romanis* λ. [e] ita λ, *proprie mentio occurrit* cet. [f] *omitto* λ. [g] + *et in positos* λ.

[1] Nomen deae Valentiae legitur in titulo Ocriculis reperto (Orelli inscr. I nr. 1869). [2] Sensus est: Iuno a Faliscis vocata est Curitis in honorem Curis patris, qui eorum deus erat. Revera autem nomen Curitis vel Quiritis derivandum est a voce *curis* seu *quiris*, qua significatur *hasta*; hastam in manu gestans ea dea Sabinorum ficta est; cfr. Preller-Jordan l. l. I 278. [3] Haec locutio familiaris est Septimio nostro. [4] Valerius Maximus I 18: Non mirum igitur, si pro eo imperio augendo custodiendoque pertinax eorum indulgentia deorum semper excubuit, quo tam scrupulosa cura parvula quoque momenta religionis examinari videntur, quia numquam remotos ab exactissimo cultu caerimoniarum oculos habuisse nostra civitas existimanda est. [5] i. e.: et ita deos in causa esse.

3 Scilicet ista merces Romano nomini a Romanis deis praerogativa[a] expensa est. Sterculus[1] et Mutunus[2] et Larentina[3] provexit imperium. Peregrinos enim deos non putem extraneae genti magis fautum[b] voluisse quam suae, et[c] patrium solum, in quo nati, adulti, nobilitati sepultique sunt, transfretanis[d] dedisse. 4 Viderit Cybele, si urbem Romanam ut[e] memoriam Troiani generis adamavit, vernaculi sui scilicet adversus Achivorum arma protecti, si ad ultores transferri[f] prospexit, quos sciebat Graeciam Phrygiae debellatricem subacturos[4]. 5 Itaque maiestatis suae in urbem conlatae grande documentum nostra etiam aetate proposuit, cum M. Aurelio apud Sirmium reipublicae exempto[g] die sexto decimo[h] kalendarum aprilium[5] archigallus ille sanctissimus[i] die nono kalendarum earundem, quo sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat[6], pro salute imperatoris[k]

[a] ita ego, *Romano nomini a deis pro gratia λ, a Romanis deis pro gratia* cet. [b] ita DTo, *fatum* ABEFGM Erfurt. Vindob., *factum* Ad nat. II 17 (130, 11). [c] *genti potius quam suae maluisse nec λ.* [d] *transfretaneis λ.* [e] *ob λ.* [f] ita ego, *transferre λ, transire* cet. [g] *subito interempto* (pro: reip. ex.) *λ.* [h] *die XVIII λ.* [i] *impurissimus λ.* [k] > *λ.*

[1] Sterculus sive Stercutus sive Stercutius, Fauni filius (Plin. nat. h. XVII 50), vetustus deus stercorationis agrorum in Italia erat. [2] Mutunus vel Tutunus deus coitus maritalis erat in Italia, ut apud Graecos Priapus. Lact. inst. div. I 20, 36: Colitur et . . . Tutinus, in cuius sinu pudendo nubentes praesident, ut illarum pudicitiam prior deus delibasse videatur. [3] Acca Larentia, vetusta dea agrestis, ab aliis uxor Faustuli pastoris et nutrix Romuli Remique, ab aliis meretrix Herculis et lupa ficta est; cfr. Preller-Jordan, Röm. Myth. II 26 ss. Quae igitur adfert hoc loco Tert. tria numina, contemptissima erant. [4] Ironice Cybelem, patronam Troiae urbis, ea de causa fortasse Romam migrasse dicit, quod a Romanis Graecos, eversores Troiae, domitum iri praesagiret. [5] Idem tradit Cassius Dio LXXI 33, qui imperatorem M. Aurelium die XVII. mensis Martii mortem obiisse narrat. [6] In vetustis Kalendariis ad diem XXIV. mensis Martii adnotatur: dies sanguinis. Eo enim die archigallus, qui Romae summus Magnae matris sacerdos erat, lacertis vulneratis suum deae sanguinem libabat, populus autem ieiunium servabat. Trebellius

Marci iam intercepti[1] solita aeque imperia mandavit. 6 O nuntios tardos, o somniculosa diplomata, quorum vitio excessum imperatoris non ante Cybele cognovit! Ne, deam talem riderent christiani! 7 Sed non statim et Iuppiter Cretam suam Romanis fascibus concuti sineret, oblitus antrum illud Idaeum et aera Corybantia et iucundissimum illic nutricis suae odorem[2]. Nonne omni Capitolio tumulum illum suum[3] praeposuisset, ut ea potius orbi terra[a] praecelleret, quae cineres Iovis texit? 8 Vellet et[b] Iuno Punicam urbem[4] posthabita Samo[5] dilectam ab Aeneadarum utique[c] gente deleri? Quod sciam:

hic illius arma,
hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus esse,
si qua fata sinant, iam tunc[d] tenditque fovetque[6].

Misera illa coniunx Iovis et soror adversus fata non valuit Plane: 'fato stat[7] Iuppiter ipse'.

9 Nec tantum tamen honoris fatis Romani dicaverunt dedentibus sibi Carthaginem adversus destinatum votumque Iunonis, quantum prostitutissimae[e] lupae Larentinae.

10 Plures deos vestros regnasse certum est. Igitur si con-

[a] ita FT, *terrae* λ So. [b] ita λ, > cet. [c] > o. [d] ita λ et Ad nat. II 17 (131, 8), *tum* cet. [e] *prostratissimae* λ.

Pollio, Vita Divi Claudii 4: Nam cum esset nuntiatum, IX. kal. april. ipso in sacrario Matris sanguinis die Claudium imperatorem factum neque cogi senatus sacrorum celebrandorum causa posset squ. Prudentius perist. 10, 1061: Cultrum in lacertos exserit fanaticus | sectisque Matrem bracchiis placat deam. [1] i. e. mortui; cfr. Suet., Tib. 7: intercepto communis fili pignore; Suet., Claud. 1: interceptum veneno. [2] Iovem in Idaeo antro Cretae insulae natum et ab Amalthea capra enutritum esse nota fama est; Curetes autem nymphae, quae postea etiam Corybantes dictae sunt, aeris strepitu vagitui infantis obstrepuerunt, ne a Saturno patre, qui puerum perdere intendebat, audiretur. [3] in Creta insula. [4] Carthaginem. [5] Lact. inst. div. I 17, 8: Insulam Samum scribit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi Iuno adoleverit ibique etiam Iovi nupserit; itaque nobilissimum et antiquissimum templum eius est Sami et simulacrum in habitu nubentis figuratum, et sacra eius anniversaria nuptiarum ritu celebrantur. [6] Verg., Aen. I 16—18. [7] obsequitur et acquiescit.

ferendi imperii tenent potestatem, cum ipsi regnarent, a quibus acceperant eam gratiam? Quem coluerat Saturnus et Iuppiter? aliquem, opinor, Sterculum. Sed postea Romani[a] cum indigitamentis[b] suis[1]. 11 Etiam si qui non regnaverunt, tamen regnabatur[c] ab aliis nondum cultoribus suis, ut qui nondum dei habebantur[2]. Ergo aliorum est regnum dare, quia regnabatur multo ante quam isti dei inciderentur[d 3]. 12 Sed quam vanum est, fastigium Romani nominis religiositatis meritis deputare, cum post imperium sive adhuc[e] regnum[4] religio profecerit[f]. Nam etsi a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat. 13 Frugi religio et pauperes ritus et nulla Capitolia certantia ad caelum, sed teme-

[a] *romam* A, *romanam* BGM, *apud Romam* λ. [b] ita Ebert, *inditamentis* λ, *indigenis* cet. [c] ita DEF alii codd. T Kellner, *regnabantur* λ ABGMo. [d] + *auctis age iam rebus religio profecerit* λ. [e] *hoc* λ. [f] + *age iam rebus religio profecerit* STo; sed haec verba, quae in omnibus codicibus et editionibus leguntur, in modum inscriptionis a posteris inserta esse videntur.

[1] Indigitamenta erant corpus vetustissimarum precum latinarum nominumque divorum, cuius incunabula iam a Numa repetebantur; quae vero posteri ex hisce libris tradiderunt, maximam partem ex Varronis Antiquitatibus humanarum et divinarum rerum excerpta sunt. Servius ad Georg. I 21: 'Nomina haec numinum in indigitamentis inveniuntur, i. e. in libris pontificalibus, qui et nomina deorum et rationes ipsorum nominum continent, quae etiam Varro dicit.' Wissowa (Religion und Kultus der Römer 22 et 333) ita indigitamenta explicat: Verzeichnisse der Anrufungsformeln; Gellius n. Att. XIII 23, 1: comprecationes deorum immortalium. [2] Sensus est: Deorum esse non potest regnum dare; nam dii aut reges fuerunt aut non fuerunt; si quando regnaverunt Saturnus et Iuppiter, a deo, quisquis ille est, regnum non acceperunt, quia antiquissimorum deorum Romanorum ante eos erat nullus; si non regnaverunt, alii olim reges exstiterunt, qui deorum illorum, quippe qui nondum dii haberentur, cultores non erant. [3] Verbum corruptum videtur esse; fortasse scribendum est: *iudicarentur*. [4] Est brachylogia pro: 'sive post illud tempus cum adhuc reges Romae erant.'

raria[a 1] de cespite altaria et vasa adhuc Samia[2] et nidor ex illis[b] et deus ipse[3] nusquam. Nondum enim tunc ingenia Graecorum atque Tuscorum fingendis simulacris urbem inundaverant[4]. Ergo non ante religiosi Romani quam magni, ideoque non ob hoc[c] magni, quia religiosi.

14 Atquin quomodo ob religionem magni, quibus magnitudo de inreligiositate provenit? Ni fallor enim, omne regnum vel imperium bellis quaeritur et victoriis propagatur. Porro[5] bella et victoriae captis et eversis plurimum urbibus constant. Id negotium sine deorum iniuria non est; eaedem[d] strages[e] moenium et templorum, pares caedes civium et sacerdotum, nec dissimiles rapinae sacrarum divitiarum et profanarum. 15 Tot igitur sacrilegia Romanorum quot tropaea, tot de deis quot de gentibus triumphi, tot manubiae quot manent adhuc simulacra captivorum deorum. 16 Et ab hostibus ergo[f] suis sustinent adorari et illis imperium sine fine decernunt, quorum magis iniurias quam adulationes[g] remunerasse debuerant. Sed qui nihil sentiunt, tam inpune laeduntur quam frustra coluntur. 17 Certe non potest fides[h] convenire, ut religionis meritis excrevisse videantur qui, ut suggessimus, religionem aut laedendo creverunt aut crescendo laeserunt. Etiam illi, quorum regna conflata sunt in imperii Romani summam, cum ea amitterent, sine religionibus non fuerunt.

a *temporaria* λ. b *exilis* λ, quod haud scio an probem; Ad nat. II 17 (132, 11): *nidor* (*parvus*) *ex illis*. c *propterea* λ. d ita λ et Ad nat. l. l. (132, 18), *eadem* cet. e + *et* λ. f > λ. g *adolationes* AB aliique codd. o. h ita λ, *fidei* cet.

[1] i. e. *temporaria*. ut in codice Fuldensi legitur. Loquitur de altaribus ex obvia qualibet materia ad tempus factis. [2] i. e. fictilia. Ars e luto vasa ducendi in insula Samo florebat. [3] simulacrum. [4] Plin. nat. h. XXXIV 4 (9): Transiit deinde ars vulgo ubique ad effigies deorum; Romae simulacrum ex aere factum Cereri primum reperio ex peculio Spurii Cassii, quem regnum adfectantem pater ipsius interemerit. [5] atquin.

XXVI. *Eadem res continuatur.*

Videte igitur, ne ille regna dispenset, cuius est et orbis qui regnatur, et homo ipse qui regnat; ne ille vices dominationum ipsis[a] temporibus in saeculo[1] ordinarit, qui ante omne tempus fuit et[b] saeculum corpus temporum fecit[2]; ne ille civitates extollat aut deprimat, sub quo fuit sine civitatibus aliquando gens hominum. 2 Quid erratis? Prior est quibusdam deis suis silvestris[c] Roma[3]; ante regnavit quam tantus ambitus Capitolii exstrueretur[d]. Regnaverant et Babylonii ante pontifices et Medi ante quindecimviros et Aegyptii ante Salios et Assyrii ante Lupercos et Amazones ante virgines Vestales[e]. 3 Postremo si Romanae religiones[f] regna praestant, numquam retro Iudaea regnasset despectrix communium istarum divinitatum, cuius et deum victimis et templum donis[4] et gentem foederibus aliquamdiu Romani honorastis, numquam dominaturi eius[5], si non deliquisset ultimo[g] in Christum.

XXVII. *Etiamsi inlaesi abire possumus ficte sacrificantes, non facimus, quia daemonibus obsequi nolumus.*

Satis haec adversus intentationem laesae divinitatis; quo non videamur laedere eam[h], ostendimus non esse. Igitur pro-

[a] > λ. [b] *qui* λ. [c] > λ. [d] ita F Vindob., *tantum ambitum Capitolii exstrueret* (λ) bo, *tantum ambitum Capitolii exstrueretur* cet. [e] Vestae λ. [f] *religionis* AM. [g] ita ego, *si deo non ultimo deliquisset* λ, *si deo non deliquisset ultimo* cet. [h] ita λ, + *quam* cet.

[1] in mundo. [2] Corpus temporum est summa annorum seu saeculorum, ut corpus Homeri sunt omnia scripta Homeri. [3] Verg., Aen. VIII 347 s.: Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit | aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis. [4] M. Vipsanius Agrippa, cum aliquando ab Herode invitatus Hierosolymam venisset, „τῷ θεῷ μὲν ἑκατόμβην κατέθυσεν“ (Flav. Iosephus ant. XVI 2, 1). [5] Constructio est graeca.

vocati ad sacrificandum obstruimus gradum[1] pro fide conscientiae nostrae, qua certi sumus, ad quos ista perveniant officia sub imaginum prostitutione et humanorum nominum consecratione. 2 Sed quidam dementiam existimant[2], quod, cum possimus et sacrificare in praesenti et inlaesi abire manente apud animum proposito, obstinationem saluti praeferamus. 3 Datis scilicet consilium, quo vobis abutamur; sed agnoscimus unde talia suggerantur, quis totum hoc agitet, et quomodo nunc astutia suadendi, nunc duritia saeviendi ad constantiam nostram deiciendam operetur[3].

4 Ille scilicet spiritus daemonicae[a] et angelicae paraturae[4], qui noster ob divortium aemulus[5] et ob dei gratiam invidus, de mentibus vestris[6] adversus nos proeliatur occulta inspiratione modulatis[7] et subornatis ad omnem quam in primordio exorsi sumus[8] et iudicandi perversitatem et saeviendi iniquitatem. 5 Nam licet subiecta sit nobis tota vis daemonum et eiusmodi spirituum, ut[b] nequam tamen[c] servi metu nonnumquam contumaciam[d] miscent et laedere gestiunt, quos alias verentur. Odium enim etiam timor spirat[e]. 6 Praeterquam et desperata conditio eorum ex praedamnatione solatium reputat fruendae interim malignitatis de poenae mora[9]. Et tamen adprehensi subiguntur[f]

[a] ita λ, *daemoniacae* cet.; cfr. De anima 39. 46. [b] *et* λ. [c] ita λ, + *et* cet. [d] *metum nonnumquam contumaciae* λ. [e] *inspirat* λ. [f] *subiciuntur* λ.

[1] Haec locutio, quae de arena deprompta est, etiam De praescr. 15 legitur atque significat: gradum sistimus seu nihil progredimur. [2] Plin. ep. X 96 (97) ita de christianis habet: 'Neque enim dubitabam, qualecumque esset quod faterentur, pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri.' Mart. s. Carpi etc. 9: *Θύσατε τοῖς θεοῖς καὶ μὴ μωραίνετε.* [3] Iust. ap. I 12, 5: *Πεπείσμεθα δ' ἐκ δαιμόνων φαύλων, οἳ καὶ παρὰ τῶν ἀλόγως βιούντων αἰτοῦσι θύματα καὶ θεραπείας, καὶ ταῦτα ὡς προέφημεν ἐνεργεῖσθαι.* [4] adparatus seu conatus. [5] inimicus noster, quia a deo secessit. [6] tamquam ex arce. [7] institutis. [8] unde in primordio libri exorsi sumus. [9] Ut ex hoc loco patet, Tertullianus angelos malos usque ad exitum huius mundi nondum in infernis esse neque poenam ignis pati censebat. Eadem erat

et conditioni suae succidunt[a], et quos de longinquo obpugnant, de proximo obsecrant. 7 Itaque cum[b] vice rebellantium[c] ergastulorum sive carcerum vel metallorum vel hoc genus poenalis servitutis erumpunt adversus nos[d], in quorum potestate sunt[1], certi et inpares se esse[e] et hoc magis perditos[2], ingratis resistimus ut aequales[3] et repugnamus perseverantes in eo quod obpugnant, et illos numquam magis detriumphamus quam cum pro fidei obstinatione damnamur.

XXVIII. '*Maiore formidine et callidiore timiditate Caesarem observatis quam ipsum de Olympo Iovem*'.

Quoniam autem facile iniquum videretur liberos homines invitos urgeri ad sacrificandum, — nam et alias divinae rei faciundae libens animus indicitur —, certe ineptum existimaretur, si quis ab alio cogeretur ad honorem deorum, quos ultro sui causa placare deberet, ne prae manu esset[4] iure libertatis dicere: Nolo mihi Iovem propitium; tu quis es? Me conveniat Ianus iratus[f] qua velit fronte; quid tibi mecum est? 2 Formati[5] estis ab isdem utique spiritibus, uti nos pro salute imperatoris sacrificare cogatis, et inposita est tam vobis necessitas cogendi, quam nobis obligatio periclitandi.

[a] *parent et succedunt λ.* [b] *dum λ.* [c] *repugnantium vel rebellantium λ.* [d] + *proeliantur λ.* [e] *certi etiam perisse λ.* [f] ita *λ*, + *ex* cet.

sententia s. Iustini et Irenaei aliorumque multorum ex patribus; cfr Iren. adv. haer. V 26, 2: *Καλῶς ὁ Ἰουστῖνος ἔφη, ὅτι πρὸ μὲν τῆς τοῦ κυρίου παρουσίας οὐδέποτε ἐτόλμησεν ὁ σατανᾶς βλασφημῆσαι τὸν θεόν, ἅτε μηδέπω εἰδὼς αὐτοῦ τὴν κατάκρισιν.* [1] Sensus est: Ut ii, qui ad ergastula, carceres, metalla damnati sunt, aliquando adversus dominos arma capiunt, ita daemones adversus christianos, quorum in potestate sunt, saepe insurgunt eosque incursionibus suis vexant. [2] scientes hoc in maiorem suam damnationem cessurum esse. [3] Inviti resistimus tamquam aequales, cum revera simus superiores. [4] praesto esset. [5] edocti.

3 Ventum est igitur ad secundum titulum laesae augustioris maiestatis, siquidem maiore formidine et callidiore timiditate Caesarem observatis quam ipsum de Olympo Iovem. Et merito, si sciatis[1]. Quis enim ex viventibus quilibet non[a] mortuo potior[b]? 4 Sed nec hoc vos ratione facitis potius quam respectu praesentaneae potestatis; adeo et in isto inreligiosi erga deos vestros deprehendemini, cum[c] plus timoris humano domino[d] dicatis. Citius denique apud vos per omnes deos quam per unum genium Caesaris peieratur[2].

XXIX. *Si dii salutem imperatoribus inpertire possent, christiani maiestatis rei fierent cultum deorum detrectando.*

Constet igitur prius, si isti, quibus sacrificatur, salutem imperatoribus[e] vel cuilibet homini inpertire possunt, et ita nos crimini maiestatis addicite; si angeli aut daemones[3], substantia pessimi spiritus, beneficium aliquod operantur; si perditi conservant, si damnati liberant; si denique, quod in conscientia vestra est, mortui vivos tuentur. 2 Nam utique suas primo statuas et imagines et aedes tuerentur[f], quae, ut opinor, Caesarum milites excubiis[g] salva praestant. Puto autem, eae[h] ipsae materiae de metallis Caesarum veniunt, et tota templa de nutu

[a] *cuilibet non* A, *non cuilibet* DE duo Oxon. Erfurt. T, *non quolibet* van der Vliet; de voce *quilibet* cfr. Hoppe, Syntax p. 27 f. [b] *quilibet non omni mortuo potior est λ.* [c] *qui λ.* [d] *domino λ.* [e] *imperatori λ.* [f] *vindicarent λ.* [g] + *suis* BDFM Vindob. Vatic. [h] *et hae λ.*

[1] sapiatis. [2] Tac. ann. I 73: Rubrio crimini dabatur violatum periurio nomen Augusti; quae ubi Tiberio notuere, scripsit consulibus non ideo decretum patri suo caelum, ut in perniciem civium is honor verteretur; . . . iusiurandum perinde aestimandum, quam si Iovem fefellisset: deorum iniurias dis curae. Hermenopulos, Manuale legum (seu Promptuarium iuris civ.) I 7, 1: *Οὐδεὶς κατὰ τοῦ θεοῦ ὀμόσας κίνδυνεύει· ἱκανὸς γὰρ ὁ ὅρκος ἔχειν τιμωρὸν τὸ θεῖον, εἰ κατὰ τοῦ θεοῦ γένονεν. Εἰ δὲ κατὰ βασιλέως κατά τινα θερμότητα ὤμοσέ τις, συγχωρεῖται. Ὁ ἐπὶ χρήμασι κατὰ τοῦ βασιλέως ὀμόσας καὶ ἐπιορκίσας ξοπαλίζεται.* [3] Daemones filii sunt malorum angelorum; cfr. c. 22, 3.

Caesaris constant. 3 Multi denique dei habuerunt Caesarem iratum; facit ad causam, si et propitium, cum illis aliquid liberalitatis aut privilegii confert. Ita qui sunt in Caesaris potestate, cuius et toti sunt[a], quomodo habebunt salutem Caesaris in potestate, ut eam praestare posse videantur, quam facilius ipsi a Caesare consequantur? 4 Ideo ergo committimus[1] in maiestatem imperatorum[b], quia illos non subicimus rebus suis, quia non ludimus de officio salutis ipsorum, qui eam non putamus in manibus esse plumbatis[2]! 5 Sed vos religiosi[c], qui eam quaeritis ubi non est, petitis a quibus dari non potest, praeterito eo[d], in cuius est potestate, insuper eis debellatis[e], qui eam sciunt petere, qui etiam possunt impetrare, dum[f] sciunt petere[3]!

XXX. *Christiani deum verum, 'quem et ipsi imperatores propitium sibi praeter ceteros malunt', pro imperatoribus invocant; porro 'hic erit crimen, ubi veritas et dei devotio est'?*

Nos enim pro salute imperatorum deum invocamus aeternum, deum verum, deum vivum, quem et ipsi imperatores propitium sibi praeter ceteros malunt[g 4]. Sciunt quis illis dederit imperium; sciunt, qua homines, quis et animam; sentiunt eum esse deum solum, in cuius solius potestate sunt, a quo sint secundi, post quem primi, ante omnes et super omnes deos. Quidni? cum

[a] *cuius et nunc et toti sumus λ.* [b] ita (λ) FT, *imperatoris* ABDEGM Erfurt. o. [c] ita λ Dac, *inreligiosi* cet. [d] *praeteritis eum λ.* [e] ita ego, *'potestate. Insuper eos* (om. λ) *debellatis'* cet. [f] *cum λ.* [g] *mallent λ.*

[1] supple: delictum. [2] Manus deorum cum bracchiis et bracchia cum truncis conligata erant plumbo. [3] Duae ultimae sententiae ironice intellegendae sunt. [4] Acta proconsularia s. Cypriani 1: 'Cyprianus ep. dixit: ... huic deo nos christiani deservimus, hunc deprecamur diebus ac noctibus pro nobis et pro omnibus hominibus et pro incolumitate ipsorum imperatorum.' Exemplum talis orationis pro regibus et praefectis habemus iam in epistula s. Clementis Romani 60, 4—61.

super omnes homines, qui utique vivunt, et[a] mortuis antistant[b]. 2 Recogitant quousque vires imperii sui valeant, et ita deum intellegunt; adversus quem valere non possunt, per eum valere se cognoscunt. Caelum denique debellet imperator, caelum captivum triumpho suo invehat, caelo mittat excubias, caelo vectigalia inponat. Non potest. 3 Ideo magnus est, quia caelo minor est: illius enim est ipse, cuius et caelum est et omnis creatura. Inde est imperator, unde et homo antequam imperator; inde potestas illi, unde et spiritus. 4 Illuc[c] suspicientes christiani manibus expansis[1], quia innocuis, capite nudo[d2], quia non erubescimus, denique sine monitore[3], quia de pectore oramus. Precantes sumus semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quaecumque hominis et Caesaris vota sunt. 5 Haec ab alio orare non possum, quam a quo me scio consecuturum, quoniam et ipse est, qui solus praestat, et ego sum, cui impetrare debetur, famulus eius, qui eum solus observo, qui propter disciplinam[e] eius occidor, qui ei obfero opimam et maiorem hostiam quam ipse mandavit, orationem de carne pudica[4], de anima innocenti, de spiritu sancto profectam, 6 non grana thuris unius assis, Arabicae

[a] *viventes λ.* [b] *antestant λ*; cfr. Hoppe, Synt. 27. [c] + *sursum λ.* [d] *nudato λ.* [e] *pro disciplina λ.*

[1] in formam crucis; cfr. De orat. 14: Nos vero non adtollimus tantum, sed etiam expandimus (manus) et de dominica passione modulati et orantes confitemur Christo. [2] Graecorum mos erat, ut operto vel velato capite immolarent; hunc Romani in omnibus fere sacrificiis imitabantur; cfr. Liv. I 7, 10 et X 7. 10; Verg., Aen. III 403 ss.; inprimis Macrob. sat. III 6, 17; Marquardt, Röm. Staatsverw. III 171. [3] Plin. nat. h. XXVIII 2: videmusque certis precationibus obsecrasse summos magistratus et, ne quod verborum praetereatur aut praeposterum dicatur, de scripto praeire aliquem rursusque alium custodem dari qui adtendat, alium vero praeponi qui favere linguis iubeat. [4] Preces et gratiarum actiones sola christianorum sacrificia esse etiam Iustinus (ap. I 13; dial. 117) et Athenagoras (suppl. 13) icunt.

arboris lacrimas, nec duas meri guttas, nec sanguinem, reprobi bovis mori optantis[1], et post omnia inquinamenta etiam conscientiam spurcam: ut mirer, cum hostiae probantur penes vos a vitiosissimis sacerdotibus, cur quidem[a] praecordia potius victimarum quam ipsorum sacrificantium examinantur? 7 Sic itaque nos ad deum expansos ungulae fodiant[2], cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiae insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis christiani. Hoc agite, boni praesides, extorquete animam deo supplicantem pro imperatore. Hic[b] erit crimen, ubi veritas et dei devotio est[c]!

XXXI. *Christianos pro imperatoribus orare ex sacra scriptura probatur.*

Adulati nunc sumus imperatori et mentiti vota, quae diximus, ad evadendam scilicet vim[3]! Plane[d] proficit ista fallacia[4]; admittitis nos enim probare quodcumque defendimus. Qui ergo putaveris nihil nos de salute Caesarum curare, inspice dei voces, litteras nostras, quas neque ipsi subprimimus et plerique casus ad extraneos transferunt. 2 Scitote ex illis, praeceptum esse nobis ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis deum orare et persecutoribus nostris bona precari. Qui magis inimici et persecutores christianorum quam de quorum maiestate con-

[a] ita ego, *cum quibus* S, *cur* (λ) T, *cum cuivis* o. [b] *Hoc* o. [c] ita AM et, ut puto, ceteri codd. praeter λ, ubi legitur: '*veritas est dei et devotio; veritas dei et devotio est* o. [d] *tamen* λ.

[1] Reprobum bovem mori optantem adpellat bovem mullius pretii, moribundum paeneque confectum. Eandem *μικρολογίαν* gentilium carpsit supra 14, 1: Non dico quales sitis in sacrificando, cum enecta et tabidosa et scabiosa quaeque mactatis. [2] Ungulis ferreis noxii in eculeo suspensi radebantur vel excarnificabantur. [3] Ex opinione adversariorum haec pronuntiantur. [4] Non recte interpretatur Oehler: 'Nihil proficit eiusmodi fallacia, quandoquidem admittitis nos et provocatis ad probandum, quodcumque defendimus.' Immo vero sensus est: 'Fallacia vestra hanc utilitatem adfert, ut probare cogamur, quae defendimus.' *Plane* idem est quod *sane*.

venimur in crimen[1]? 3 Sed etiam nominatim atque manifeste: *Orate*, inquit, *pro regibus et pro principibus et potestatibus, ut omnia tranquilla sint vobis*[2]. Cum enim concutitur imperium, concussis etiam ceteris membris eius utique et nos, licet extranei a turbis aestimemur[a], in aliquo loco casus invenimur.

XXXII. 'Sed et iuramus, sicut non per genios Caesarum, ita per salutem eorum'.

Est et alia maior necessitas nobis orandi pro imperatoribus, etiam pro omni[b] statu imperii rebusque Romanis, qui vim maximam universo orbi imminentem ipsamque clausulam[c] saeculi acerbitates horrendas comminantem Romani imperii commeatu[3] scimus retardari[4]. Itaque nolumus experiri, et dum precamur differri, Romanae diuturnitati favemus.

2 Sed et iuramus, sicut non[d] per genios Caesarum[5], ita per salutem eorum[6], quae est augustior omnibus geniis. Nescitis

a > λ. b *et ita universo orbe et* λ. c *cladem* FGM. d *sed et sic iuramus non* λ.

1 accusamur. 2 1 Tim. 2, 2. 3 i. e. mora (nostrum: Urlaub). Ad nat. II 2: Thales Milesius Croeso sciscitanti, quid de deis arbitraretur, post aliquot deliberandi commeatus nihil renuntiavit. 4 2 Thess. 2, 7. 8: *Τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται, καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος. Ὁ κατέχων* a Tertulliano aliisque intellegitur imperium Romanum, quod usque ad finem mundi duraturum esse censebant; cfr. Ad Scap. 2: 'imperatoris, quem sciens a deo suo constitui necesse est, ut et ipsum diligat et revereatur et honoret et salvum velit cum toto Romano imperio, quousque saeculum stabit: tamdiu enim stabit'. 5 In Passione Scilitanorum dicente Saturnino iudice: 'Iurate per genium domini nostri imperatoris' respondet Speratus: Ego imperium huius saeculi non cognosco. 6 At cum Statius Quadratus proconsul Polycarpo diceret: *ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην*, hic obsequi noluit (Mart. s. Polyc. 9), et cum Perennis praefectus Apollonio Romano mandaret: *ὄμοσον τὴν τύχην τοῦ κυρίου ἡμῶν Κομόδου*, martyr respondit, christianos neutiquam iurare didicisse, se vero iurare paratum esse, christianos imperatorem honorare et pro imperio eius orare (Acta

genios daemonas dici et inde diminutiva voce daemonia? Nos iudicium dei suspicimus in imperatoribus, qui gentibus illos praefecit. 3 Id in eis scimus esse, quod deus voluit, ideoque et salvum volumus esse quod deus voluit, et pro magno id iuramento[a] habemus. Ceterum daemonas, id est genios, adiurare[1] consuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non deierare, ut eis honorem divinitatis conferamus.

XXXIII. *Christiani imperatorem deo subicientes aeque saluti eius provident atque ille, qui triumphanti suggerit: Memento te hominem esse.*

Sed quid ego amplius de religione atque pietate christiana in imperatore[b], quem necesse est suspiciamus ut eum, quem dominus noster elegit, ut merito dixerim: Noster est magis Caesar, a nostro deo constitutus? 2 Itaque ut meo plus ego illi operor in salutem, si quidem non solum ab eo postulo eam[c], qui potest praestare, aut quod talis postulo, qui merear impetrare, sed etiam quod temperans maiestatem Caesaris infra deum magis illum commendo deo, cui soli subicio; subicio autem cui non adaequo. 3 Non enim deum imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se deum volet dici[2]. Si homo sit, interest homini deo cedere; satis habeat[d] adpellari imperator; grande et hoc nomen est, quod a deo traditur. Negat illum imperatorem, qui deum

[a] *adiuramento* (sine: *id*) λ. [b] *in imperatorem* (λ) F, *imperat* T. [c] *in salutem non solum quod eam ab eo postulo* λ. [d] *habet* λ.

s. Apoll. 4. 6). Per genium et per fortunam Caesaris iurare idem fere habebatur; Pompeiis templo Augusti nomen erat: Fortuna Augusta. [1] ἐξορκίζειν. Cypr., Quod idola non sint c. 7: Hi tamen adiurati per deum verum nobis statim cedunt et fatentur et de obsessis corporibus exire coguntur. [2] Min. Felix, Oct. 21: Invitis his denique hoc nomen adscribitur, optant in homine perseverare, fieri se deos metuunt, etsi iam senes nolunt.

dicit; nisi homo sit, non est imperator. 4 Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur; suggeritur enim ei a tergo: *Respice post te*[1]! *hominem te*[a] *memento*[2]! Et utique hoc magis gaudet, tanta se gloria coruscare, ut[3] illi admonitio conditionis suae sit necessaria. Minor erat, si tunc deus diceretur, quia non vere diceretur. Maior est qui revocatur, ne se deum existimet.

XXXIV. *Imperator ut deus dicendus sit, tantum abest, ut ne dominum quidem eum adpellari conveniat.*

Augustus, imperii formator, ne dominum quidem dici se volebat[4]. Et hoc enim dei est cognomen. Dicam plane imperatorem dominum, sed more communi[b], sed quando non cogor, ut dominum dei vice dicam. Ceterum liber sum illi[5]; dominus enim meus unus est, deus omnipotens et aeternus, idem qui et ipsius. 2 Qui pater patriae est, quomodo dominus est? Sed et gratius est nomen pietatis quam potestatis; etiam familiae magis patres quam domini vocantur. Tanto[6] abest, ut impe-

[a] + *esse* λ. [b] *sed more communi* > λ.

[1] i. e. 'Respice, quae humano more egeris passusque sis', vel 'Respice ad me servum'! [2] Plin. nat. h. XXVIII 4, 39: iubetque eosdem respicere similis medicina linguae, ut sit exorata a tergo Fortuna gloriae carnifex. Hieronymus ep. 39, 2: in similitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhaerebat, per singulas adclamationes civium dicens: Hominem te esse memento. [3] Particula *ut* pendet a *tanta*. Sensus est: Maior est imperator, si in tanta gloria est, ut monendus sit de conditione humana, quam si per mendacium deus dicatur. [4] Suet., Div. Aug. 53: Domini adpellationem ut maledictum et obprobrium semper exhorruit. Quo ex fonte cultus religiosus imperatorum Romanorum emanaverit qualisque cultus singulorum imperatorum fuerit, de ea re vide Ad. Matthaei, Der römische Kaiserkultus (Preuss. Jahrbücher 1905, IV 462—479). [5] Adpellatione 'dominus' servi uti solebant; sensus igitur est: Etsi imperatorem dominum dico, tamen me non servum confiteor. [6] supple: *magis*, quae vox a Tert. saepe omittitur.

rator deus debeat dici, quod non potest credi[a] non modo turpissima sed et perniciosa adulatione[1]. 3 Si[b] habens imperatorem alterum adpelles, nonne maximam et inexorabilem offensam contrahes eius, quem habuisti, etiam ipsi timendam, quem adpellasti? Esto religiosus in deum, qui vis illum propitium imperatori. Desine alium deum credere atque ita et hunc deum dicere, cui deo[c] opus est. 4 Si non de mendacio erubescit adulatio eiusmodi hominem deum adpellans, timeat saltim de infausto. Maledictum est[d 2] ante apotheosin deum Caesarem nuncupari[e 3].

XXXV. *'In secundum sacrilegium convenimur christiani non celebrando vobiscum solemnia Caesarum'; christiani 'solemnia eorum conscientia potius quam lascivia celebrant'.*

Propterea igitur publici hostes christiani[f], quia imperatoribus neque vanos neque mentientes neque temerarios[4] honores dicant, quia verae religionis homines etiam solemnia eorum[5] conscientia potius quam lascivia celebrant. 2 Grande videlicet officium focos et toros in publicum educere[g], vicatim epulari, civitatem tabernae habitu abolefacere[6], vino lutum cogere[h],

[a] Verba: *quod non potest credi* in λ post vocem *adulatione* leguntur. [b] ita λ, *tamquam si* cet. [c] deis λ. [d] *male traditum est* λ. [e] *nuncupare* λ DET; in codice λ additur: *Scio te isto nomine male velle et male abominari* (*adominari* Haverc.), *ut vivente adhuc imperatore deum appelles quod nomen illi mortuo* (*mortuum* cod.) *accidit.* [f] + *an* λ. [g] *deducere* λ. [h] *in tabernae habitum demutare vinulentiam facere* λ.

[1] Perniciosam dicit hanc adulationem propter numinis divini indignationem et certam inde perniciem extimescendam. [2] prohibitum est. [3] Tac. ann. XV 74: nam deum honor principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit. [4] lascivos. [5] Solemnia Caesarum sunt dies natales, triumphi, quinquennalia vel decennalia vel vicennalia imperii. [6] Hoc verbum legitur etiam De cultu fem. I 3; verte: nach Art einer Garküche duften zu machen.

catervatim cursitare ad iniurias, ad inpudentias, ad libidinum ludibria[a 1]. Sicine exprimitur publicum gaudium per dedecus publicum? Haecine solemnes dies principum decent, quae[b] alios dies non decent? 3 Qui[c] observant disciplinam de Caesaris respectu[2], hi eam propter Caesarem deserunt et malorum morum licentia pietas erit, occasio luxuriae religio deputabitur? 4 O nos merito damnandos! Cur enim vota et gaudia Caesarum casti et sobrii et probi expungimus[3]? Cur die laeto non laureis postes obumbramus nec lucernis diem infringimus[d 4]? Honesta res est, solemnitate publica exigente induere domui tuae habitum alicuius novi lupanaris[5].

5 Velim tamen in hac quoque religione secundae maiestatis, de qua in secundum sacrilegium[6] convenimur christiani non celebrando vobiscum solemnia Caesarum, quo more celebrari nec modestia nec verecundia nec pudicitia permittunt, sed occasio voluptatis magis quam digna ratio persuasit, fidem et veritatem vestram[e] demonstrare, ne forte et istic deteriores christianis

[a] ita λ, *ad libidinis inlecebras* cet. [b] *decernuntque* λ.
[c] *decet quae* λ. [d] *effringimus* λ. [e] *solemnia Caesarum*

[1] In eiusmodi solemnibus convivia publica celebrabantur in plateis et vicis, ita ut tota civitas tabernae saepe speciem prae se ferret; intemperantia vero et prodigalitas tanta erat, ut mediis in viis ex vino effuso lutum conglutinaretur et ebrii catervatim ad iniurias et inpudicitias cursitarent. Tac. XV 37 de Nerone: Ipse quo fidem adquireret, nihil usquam perinde laetum sibi, publicis locis struere convivia totaque urbe quasi domo uti. [2] Praepositio *de* a Tertulliano ad quodlibet genus ablativi additur; saepe vim habet causalem et instrumentalem. [3] Verbum *expungere* Tert. frequentat hoc sensu: facere, perficere, persolvere. [4] Haec signa laetitiae publicae vulgaria erant. Iuvenalis sat. VI 79: ornentur postes et grandi ianua lauro; 227 s.: Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit | vela domus et adhuc virides in limine ramos. XII 91 s.: Cuncta nitent, longos erexit ianua ramos | et matutinis operatur festa lucernis. [5] Laurus et faces maxime ad nuptias pertinebant. [6] Ex hoc loco apparet (cfr. c. 28), crimen laesae maiestatis et sacrilegii Tertulliano idem esse. Duplicis autem sacrilegii seu criminis laesae maiestatis christiani incusabantur: primum laesae religionis, deinde laesae pietatis in Caesarem.

deprehendantur qui nos nolunt Romanos haberi, sed ut hostes principum Romanorum. 6 Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio, an alicui Caesari suo parcat illa lingua Romana[1]? Testis est Tiberis, et scholae bestiarum[2]. 7 Iam si pectoribus ad translucendum quandam specularem materiam natura obduxisset, cuius non praecordia insculpta adparent novi ac novi Caesaris scenam[3] congiario dividundo praesidentis[a], etiam illa hora, qua adclamant:

De nostris annis tibi Iuppiter augeat annos[4]! Haec christianus tam enuntiare non novit quam de novo Caesare[b] optare. 8 *Sed vulgus*, inquis. Ut vulgus, tamen Romani, nec ulli

quomodo celebranda occasio voluntatis (!) *magis quam digna ratio persuasit si nec modestia nec verecundia nec pudicitia persuasit fidem et veritatem nostram* λ. [a] *iam si pectoribus humanis ad transducendum quoddam specularem materiam natura obduxisset cuius non praecordia insculpta pareret novum ac novum Caesarem scena conceario dividundo praesidentem* λ. [b] *novum Caesarem* λ; sed cfr. Hoppe, Synt. p. 38.

[1] Tac. hist. III 32: Mox tertiadecumanos ad exstruendum amphitheatrum relictos, ut sunt procacia urbanae plebis ingenia, petulantibus iurgiis inluserant. [2] Circus certaminaque eius cruenta quin hic significentur, vix est dubium. Porro circus Maximus et circus Flaminius a *Tiberi* haud procul abiacebant, campumque Martium, ubi non semel ludi spectati sunt, ipse fluvius adluebat. Denique per *scholas bestiarum* denotantur venationes, in quibus bestiae homines dilaniare edocebantur (Oehler). Ad nat. I 17: Vanitatis sacrilegia conveniam et ipsius vernaculae gentis inreverentiam recognoscam et festivos libellos, quos statuae sciunt et illa obliqua nonnumquam dicta a concilio atque maledicta, quae circi sonant. [3] Verg. ecl. III 106: Dic quibus in terris inscripti nomina regum | nascuntur flores. [4] Unde hunc versum mutuatus sit Tert., non liquet. Diversis autem adclamationibus principes in circo ac theatro a vulgo exceptos esse notum est; quasdam adclamationes eiusmodi enumerat Cassius Dio LXXII 20: *Πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις καὶ ἐπεβοῶμεν τά τε ἄλλα ὅσα ἐκελευόμεθα καὶ αὐτὸ τοῦτο συνεχῶς· „καὶ κύριος εἶ καὶ πρῶτος εἶ καὶ πάντων εὐτυχέστατος, νικᾷς, νικήσεις, ἀπ' αἰῶνος, Ἀμαζόνιε νικᾷς.“* Ovid. fast. I 613: Augeat imperium nostri ducis, augeat annos!

magis depostulatores[a 1] christianorum quam vulgus. Plane ceteri ordines pro auctoritate religiosi ex fide; nihil hosticum de ipso senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis spirat[2]. 9 Unde Cassii et Nigri et Albini[3]? unde qui inter duas laurus obsident Caesarem[4]? unde qui faucibus eius exprimendis palaestricam exercent[5]? unde qui armati palatium inrumpunt[6], omnibus tot[b] Sigeriis atque Partheniis audaciores[7]? De Romanis, nisi fallor, id est de non christianis. 10 Atque adeo omnes illi sub ipsa usque inpietatis eruptione et sacra faciebant pro salute imperatoris et genium eius deierabant, alii foris, alii intus, et utique publicorum hostium nomen christianis dabant.

11 Sed et qui nunc scelestarum partium socii aut plausores cottidie revelantur, post vindemiam parricidarum racematio

[a] *depopulatores* λ. [b] > λ.

[1] Scorp. 8: Nam et Danielem, nullius praeter dei supplicem et idcirco a Chaldaeis delatum ac *depostulatum* squ. [2] Ironice loquitur. [3] Avidius *Cassius* temporibus M. Aurelii imperium usurpavit, cuius Vitam scripsit Vulcatius Gallicanus. Pescennius *Niger* 'ab exercitibus Syriacis quos regebat adpellatus est imperator' anno 193, postquam Commodus anno 192 exeunte laqueo interemptus est (Aelius Spartianus in eius Vita c. 2); eodem tempore Clodius *Albinus* a legionibus Britannicis imperator salutatus est. [4] Quasnam insidias imperatori Commodo structas Tert. hic significet, nullus scio; sed non semel eum petitum esse, ex Amm. Marc. XXIX 1, 17 patet. Locus *inter duas laurus* in regione XIII. urbana situs saepius a veteribus commemoratur; in Kalendariis marmoreis leguntur Lauretum maius et minus (Orelli inscr. I 68 et II 396); Chron. pasch. ad an. 455: *Τούτῳ τῷ ἔτει ἐσφάγη Οὐαλεντινιανὸς Αὔγουστος ἐν Ῥώμῃ μέσον δύο δαφνῶν.* [5] Aurelius Victor (de Caes. 17) de Commodo: 'in palaestram pervenit; ibi per ministrum unguendi — nam forte is quoque e consilio erat — faucibus quasi arte exercitii bracchiorum nodo validius pressis exspiravit.' Ceterum 'fauces premere' proprium erat palaestritarum. [6] His verbis Pertinacis percussores notantur (Cass. Dio LXXIII 9). [7] Parthenius et Sigerius a Cassio Dione (LXVII 15) inter interfectores Domitiani enumerantur eosdemque coniungit Martialis epigr. IV 79, 8: 'Sigeriosque modo Partheniosque sonas.' Pro *omnibus tot* legitur apud Min. Felicem (Oct. 5, 4): tot omnibus.

superstes[a] [1], quam recentissimis et ramosissimis laureis postes praestruebant, quam elatissimis et clarissimis lucernis vestibula nebulabant[b], quam cultissimis et superbissimis toris forum sibi dividebant, non ut gaudia publica celebrarent, sed ut vota[c] propria iam ediscerent[d] in aliena solemnitate et exemplum atque imaginem spei suae inaugurarent, nomen principis in corde mutantes [2]! 12 Eadem officia dependunt et qui astrologos et haruspices et augures et magos de Caesarum capite consultant [3]; quas artes ut ab angelis desertoribus proditas et a deo interdictas ne suis quidem causis adhibent christiani. 13 Cui autem opus est perscrutari super Caesaris salute, nisi a quo aliquid adversus illam cogitatur vel optatur, aut post illam speratur et sustinetur? Non enim ea mente de caris[e] consulitur qua de dominis[f]. Aliter curiosa est sollicitudo sanguinis, aliter servitutis.

XXXVI. *Ut imperatoribus ita omnibus bene velle et facere christiani aeque iubentur.*

Si haec ita sunt, ut hostes deprehendantur qui Romani vocabantur[g], cur nos, qui hostes existimamur, Romani negamur? Non possumus et Romani non esse et hostes esse, cum hostes reperiantur qui Romani habebantur. 2 Adeo pietas et religio et fides imperatoribus debita[h] non in huiusmodi officiis consistit, quibus et hostilitas magis ad velamentum sui potest fungi, sed

[a] *superest λ.* [b] *nubilabant λ.* [c] + *publica λ.* [d] *ediserent* AB, *edicerent* DE, *edisserent* GM. [e] *de Caesaris λ.* [f] *de hominis λ.* [g] *vocantur λ.* [h] *dedita* A.

[1] Agit de Clodio Albino, Britannicarum legionum duce, qui a Septimio Severo die XIX. Febr. 197 prope Lugdunum victus paulo post mortem obiit, et vexationibus adsectatorum eius victoriam illam secutis. [2] Nomen principis in animo mutant, cum praesentis principis festa agentes futurum principem iam mente concipiunt et ita votorum propriorum quasi gaudia praegustant. [3] Et hoc facinus capitale aetate Tertulliani accidit. Spart., Sept. Sev. 15: Multos etiam, quasi Chaldaeos aut vates de sua salute consuluissent, interemit.

in his moribus, quibus divinitas imperatori[a] tam vere quam circa omnes necesse habet[b] exhiberi[1]. 3 Neque enim haec opera bonae mentis solis imperatoribus debentur a nobis. Nullum bonum sub[c] exceptione personarum[2] administramus, quia nobis[3] praestamus, qui non ab homine aut laudis aut praemii expensum captamus, sed a deo exactore et remuneratore indifferentis[d] benignitatis[4]. 4 Iidem sumus imperatoribus ex ipso[e] qui et vicinis nostris. Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam ex aequo[5] vetamur. Quodcumque non licet in imperatorem, id nec in quemquam; quod in neminem, eo forsitan magis nec in ipsum[f], qui per deum tantus est.

XXXVII. *Christiani etsi pro multitudine sua ethnicos ulcisci possent, tamen, quia inimicos diligere a magistro suo iubentur, nolunt, immo daemones expellendo de iis bene merentur.*

Si inimicos, ut supra diximus, iubemur diligere, quem habemus odisse? Item si[g] laesi vicem referre prohibemur, ne de facto pares[6] simus, quem possumus laedere? 2 Nam de isto ipsi recognoscite. Quotiens enim in christianos desaevitis, partim animis propriis, partim legibus obsequentes? Quotiens etiam praeteritis vobis suo iure nos inimicum vulgus invadit lapidibus et incendiis[h]? Ipsis bacchanalium furiis nec mortuis[i] parcunt christianis, quin illos de requie sepulturae, de asylo quodam mortis, iam alios, iam nec totos avellant, dissecent[k], distrahant.

[a] ita ego, *imperat* cet.; nomen 'imperator' in hac sententia omnino desideratur. [b] *habent* λ o. [c] *sed* Λ. [d] *indifferentia* λ. [e] ita λ, > cet. [f] + *imperatorem* λ. [g] + *iidem* λ. [h] *lap. et inc.* > λ. [i] *ne mortuis quidem* λ. [k] *dissipent* λ.

[1] i. e. in iis moribus, quibus divinitas pietatem et religionem exhiberi iubet non solum in imperatorem sed etiam in omnes homines. [2] ita ut quasdam personas excipiamus. [3] non aliis. [4] qui in omnes benignus est absque personarum acceptione. [5] aeque. [6] laedentes.

3 Quid tamen de tam conspiratis umquam denotatis[1], de tam animatis ad mortem usque pro iniuria repensati[a], quando vel una nox pauculis faculis largiter ultionis[2] posset operari, si malum malo dispungi[3] penes nos liceret? Sed absit, ut aut igni humano vindicetur divina secta aut[b] doleat pati, in quo probatur.

4 Si enim et hostes exsertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarum? Plures nimirum Mauri et Marcomanni ipsique Parthi[4]; vel quantaecumque unius tamen loci et suorum finium gentes quam totius orbis. Hesterni[c 5] sumus, et orbem iam[d] et vestra omnia inplevimus, urbes insulas castella municipia conciliabula castra ipsa tribus decurias palatium senatum forum; sola vobis reliquimus templa[e]. 5 Cui bello non idonei, non prompti fuissemus etiam inpares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quam occidere?

6 Potuimus et inermes nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius divortii invidia adversus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus[6] a vobis, subfudisset utique dominationem vestram tot qualiumcumque civium amissio, immo etiam et ipsa destitutione punisset.

a ita Kayser, *repensatum* Oehler cum cod. Erlang. et Ursino et Rigaltio, *repensatis* cet. b *divinitas sectae aut ut* λ. c *externi* codd. omnes praeter AB. d ita ego, *tam* λ, *et orbem iam* > cet. e + *possumus dinumerare exercitus vestros unius provinciae plures erunt* λ.

1 reprehenditis. 2 Adiectivum *largus* et adverbium *largiter* saepe a latinis scriptoribus cum genetivo coniuncta sunt. 3 Verbum *dispungere* pro *rependere* Tert. frequentat. 4 Ab his gentibus id temporis imperium Romanum vexatum est; Mauri Marco imperante Hispanias vastarunt; idem imperator cum Marcomannis contendit magnis laboribus periculisque; contra Parthos Lucius Verus, Marci frater, profectus bello per legatos gesto imperatoris nomen meruit. 5 Quomodo adiectiva *hesternus* et *externus* saepe a librariis confusa sint, vide Drakenborch ad Liv. XL 14, 2. 6 Eodem verbo sensu reflexivo Tert. utitur Adv. Valent. 4.

7 Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum et stuporem quendam quasi mortui orbis; quaesissetis quibus imperaretis; plures hostes quam cives vobis remansissent. 8 Nunc enim pauciores hostes habetis prae multitudine christianorum paene omnium civium[a]. Paene omnes cives christianos hostes[b] habendos et[c] hostes[d] maluistis[e] vocare generis humani potius quam erroris humani.

9 Quis autem vos ab illis occultis et usquequaque vastantibus mentes et valetudines vestras hostibus raperet, a daemoniorum incursibus dico, quae de vobis sine praemio, sine mercede depellimus? Subfecisset hoc solum nostrae ultioni, quod vacua exinde possessio inmundis spiritibus pateretis[f]. 10 Porro nec tanti praesidii compensationem cogitantes[g] non modo non molestum vobis genus verum etiam necessarium hostes iudicare maluistis, qui[h] sumus plane, non generis humani tamen[i], sed potius erroris.

XXXVIII. *Neque inter inlicitas factiones secta christiana referenda erat, neque christiani vituperandi sunt, quod spectaculis renuntiant.*

Proinde nec paulo lenius inter licitas[k] factiones sectam istam deputari oportebat, a qua nihil tale committitur, quale de inlicitis factionibus praecavetur[l]. 2 Nisi fallor enim, prohiben-

[a] ita codd. omnes. [b] ita λ, > cet. [c] ita ABGM Vindob., *habendo sed* DEabd, *habendo* (sine *et*) λ, *habentes et* F. [d] ita ego; Oehler et Havercamp sic: '*prae multitudine christianorum, paene omnium civitatium* (*civitatum* Haverc.) *paene omnes cives christianos habendo. Sed hostes.*' [e] *maluissetis* λ. [f] ita λ, *pateret* cet.; cfr. quae antecedunt: *Si enim tanta vis hominum . . . abrupissemus.* [g] *recogitantes* λ. [h] ita λ cd, *quia* cet. [i] + hostes λ. [k] *illicitas* λ. [l] ita λ, *timeri solet* cet.

[1] Conlegia seu factiones primus Romae coercuit Iulius Caesar (Suet., D. Iul. 42: cuncta conlegia praeter antiquitus constituta distraxit); eum secuti sunt Augustus posterioresque imperatores (Suet.,

darum factionum causa de providentia constat modestiae[1] publicae, ne civitas in partes scinderetur, qua[a] facile comitia concilia curias contiones, spectacula etiam aemulis studiorum compulsationibus inquietarent[b], cum iam et in quaestu habere coepissent venalem et mercenariam[c] violentiae suae operam[2]. 3 At enim nobis ab omni gloriae[d] et dignitatis ardore frigentibus nulla est necessitas coetus, nec ulla magis res aliena quam publica. Unam omnium rempublicam agnoscimus, mundum.

4 Aeque[e] spectaculis vestris in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas, cum et ipsis rebus, de quibus transiguntur, praetersumus[3]. Nihil est[f] nobis dictu visu auditu cum insania circi[4], cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenae, cum xysti[5] vanitate. 5 Quo vos offendimus, si alias praesumimus voluptates? Si oblectari[g] novissime[h] nolumus, nostra iniuria est, si forte[6], non vestra. Sed reprobamus quae placent vobis! Nec vos nostra delectant. Sed licuit Epicureis aliam[i] decernere voluptatis veritatem, id est animi aequitatem[k 7].

[a] ita λ, *quae res* cet. [b] ita λ, *inquietaret* cet. [c] ita λ, + *homines* cet. [d] *gloria* λ. [e] *atque adeo* λ. [f] + *enim* λ. [g] *oblectare* λ. [h] ita λ, *novisse* cet. [i] ita λ, *aliquam* cet. [k] Haec sententia in λ post verba *xysti vanitate* legitur. Quae in ceteris codd. et in edd. post *animi aequitatem* leguntur: *et ampla negotia christianae* (ABGMo), vel *et ampla negotia* (DET) vel *et ampla neg. christ. factionis* (F),

D. Aug. 32). Novum edictum contra hetaerias proposuit Traianus, quo etiam christiani vexati sunt; cfr. Plin. ep. 96, 7: edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram. [1] honestatis seu tranquillitatis. [2] i. e. cum homines iam quaestum captent ex actionibus violentis et iniuriis. [3] supersumus. [4] De spect. 16: Cum ergo furor interdicitur nobis, ab omni spectaculo auferimur, ubi proprie furor praesidet. [5] Xystus vel xystum porticus aliusve locus erat, ubi athletae corpora exercebant. Cicero de opt. gen. 8: palaestrice spatiari in xysto. [6] si quid forte in ea re damni est. [7] De spect. 28: Philosophi quidem hoc nomen (voluptatis) quieti et tranquillitati dederunt, in ea gaudent, in ea avocantur, in ea etiam gloriantur.

XXXIX. *Agitur de disciplina christianorum, i. e. de amore eorum fraterno, de cura egenorum, de coetibus cum eucharisticis tum iis, quae vocabantur agapae.*

Edam iam nunc ego ipse negotia christianae factionis, ut qui[a] mala refutaverim, bona ostendam[b]. Corpus[1] sumus de conscientia religionis et disciplinae unitate et spei foedere. 2 Coimus in coetum[c] et congregationem[d], ut ad deum quasi manu facta[2] precationibus ambiamus[e 3]. Haec vis deo grata est. Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris[f] eorum et potestatibus, pro statu saeculi, pro rerum quiete, pro mora finis[4]. 3 Coimus ad litterarum divinarum commemorationem, si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere[5]. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam praeceptorum nihilominus[g] inculcationibus densamus; ibidem etiam exhortationes, castigationes et censura divina. 4 Nam et iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de dei conspectu, summumque futuri iudicii praeiudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur[6]. Praesident[7] probati qui-

spuria sunt; ex iis enim, quae secuntur, in modum inscriptionis deprompta sunt. [a] *quominus* (pro: *ut qui*) λ. [b] + *si etiam veritatem revelaverim* λ. [c] *coetu* λ. [d] + *facimus* λ. [e] ita λ, + *orantes* cet. [f] *ministeriis* λ. [g] Inde ab hoc vocabulo codex Montispessulanus finem habet.

[1] Corpus adpellantur christiani etiam ab Arnobio I 16. [2] Cic. pro Caecina 12, 33: qui in pace et otio, cum *manum fecerit*, copias pararit squ. Tert. ad Scap. 5: omnes illius civitatis christiani ante tribunalia eius se *manu facta* obtulerunt. [3] *Ambire* cum praepositione *ad* coniungit etiam s. August. de civ. dei X 42: ambiendum mihi fuit ad angelos? [4] At De orat. 5 Tertullianus secundam orationis dominicae precem ad consummationem huius mundi refert, eiusdemque generis precatio, ut finis mundi acceleretur, legitur Apoc. 22, 17 et Didache 10, 6. [5] Iust. apol. I 67, 3 ss. [6] Cypr. ep. 4, 4: spirituali gladio superbi et contumaces necantur, dum de ecclesia eiciuntur. [7] Praesidentes praepositi ecclesiae a Tertulliano saepe vocantur.

que seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti, neque enim pretio ulla res dei constat.

5 Etiam si quod arcae genus est, non de honoraria[1] summa quasi redemptae religionis congregatur[2]. Modicam unusquisque stipem menstrua die[3], vel cum velit et si modo velit et si modo possit, adponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. 6 Quippe non epulis inde[a] nec[b] potaculis nec ingratis[c] voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus[d 4], item naufragis et si qui in metallis et si qui in insulis vel in custodiis, dumtaxat ex causa dei sectae[e], alumni confessionis suae fiunt[5]. 7 Sed eiusmodi vel maxime dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam. *Vide*, inquiunt, *ut invicem se diligant*, ipsi enim invicem oderunt, *et ut pro alterutro mori sint parati;* ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores[f]. 8 Sed et quod fratrum ad-

[a] ita λ, *nam inde non epulis* cet. [b] > λ. [c] ita λ Gbcd, *ingratis* cet. [d] + *iam otiosis* λ. [e] + *conflictatur* λ. [f] ita λ, + *erunt* cet.

[1] Conlegiis licitis arcam communem habere licebat; ii vero, qui in conlegium admittebantur, pro introitu aliquid pendere solebant, quae stips ab imperatore Traiano vocatur *honorarium* (apud Plin. ep. X 114), ab Apuleio dos (met. VII 8). [2] In conlegiis sodales menstrua die stipem conferre solebant. [3] Iust. apol. 67: *Οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ δ βούλεται δίδωσιν.* Haec verba Iustini vulgo ita interpretantur, ut singulis conventibus seu dominicis diebus stipem illam pensam esse dicant; sed hic mihi non fuisse videtur sensus s. Iustini. [4] Domestici senes ii sunt, qui propter morbum aut virium defectum domi manere coguntur. [5] De iis, qui ex conlectis ecclesiae alebantur, agit etiam s. Iustinus l. l. In eo numero etiam confessores erant in insulis vel carceribus detenti, quos Tert. hoc loco alumnos confessionis suae vocat (Versorgungsberechtigte ihres Bekenntnisses); quod ea res saepe incircumspecte acta est i. e. *popinae exhibitae sunt martyribus incertis,* queritur Tert. in libro De ieiunio c. 12. Romanae ecclesiae munificentiam valde laudat Dionysius episcopus Corinthius apud Eus. h. e. IV 23.

pellatione censemur[a 1], non alias, opinor, insaniunt, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de adfectione simulatum est[2]. Fratres autem etiam vestri sumus iure naturae matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. 9 Quanto nunc[b] dignius fratres et dicuntur et habentur, qui unum patrem deum agnoverint[c 3], qui unum spiritum biberint[d] sanctitatis, qui de uno utero ignorantiae eiusdem ad unam lucem expaverint[e 4] veritatis? 10 Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla[f] de nostra fraternitate tragoedia exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus[5], quae penes vos fere dirimit fraternitatem.

11 Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos praeter uxores. 12 In isto loco[g] consortium solvimus, in quo solo ceteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo

[a] ita Haverc., *censemus* λ, *fratres nos vocamus* cet. [b] ita ego, *quando nunc* λ, *at quanto* cet. [c] ita ego, *agnoverunt* cet. [d] ita AB Vindob. o, *biberent* G, *biberunt* cet. [e] ita codd. omnes fere, *expaverunt* λ. [f] *nulli* A. [g] *solo* λ, qui codex etiam infra in eodem capite vocabula *solo* et *loco* confundit.

[1] Val. Max. VIII 7 ext. 2: quo cognomine censeretur (i. e. adpellaretur) interrogatus. Apul. met. VIII 25 extr.: hoc enim nomine iam censebatur meus dominus. [2] Consanguinitatis nominibus gentiles etiam ad benevolentiam testandam utebantur. Spartianus, Did. Iul. 4: Ubi vero primum inluxit, senatum et equestrem ordinem in palatium venientem admisit atque unum quemque, ut erat aetas, vel patrem (scribe: *fratrem*) vel filium vel parentem adfatus blandissime est. Capitolinus, Antoninus Philos. 18: Cum igitur in amore omnium imperasset atque ab aliis modo frater modo pater modo filius, ut cuiusque aetas sinebat, et diceretur et amaretur squ. [3] Ita scribo, etsi omnes codices et editiones habent: *agnoverunt;* nam saepius Tert. ab usu coniunctivi sine manifestiore ratione transit ad indicativum, numquam autem, quantum video, e contrario facit. [4] pavidi seu stupentes pervenerint; cfr. De spect. 17: ad lucem et populum expavescentes. [5] Christiani, quantum ad usum rei familiaris adtinet, una familia erant.

matrimonia usurpant, sed et sua amicis patientissime subministrant; ex illa, credo, maiorum et sapientiorum suorum[a] disciplina, Graeci Socratis[1] et Romani Catonis[2], qui uxores suas amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant liberorum causa et alibi[3] creandorum. 13 Nescio quidem an invitas; quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facile donaverant? O sapientiae Atticae, o Romanae gravitatis exemplum: lenones[b] philosophus et censor[4]!

14 Quid ergo mirum, si tanta caritas convivatur[c 5]? Nam et cenulas nostras praeterquam sceleris infames ut prodigas quoque suggillatis. De nobis scilicet Diogenis dictum est: *Megarenses obsonant quasi crastina die morituri, aedificant vero quasi numquam morituri*[d 6]. Sed stipulam quis in alieno oculo facilius perspicit quam in suo trabem. 15 Tot tribubus et curiis et decuriis ructantibus acescit aër[7]; Saliis cenaturis creditor erit

[a] ita λ, *sapientissimorum* cet. [b] ita Haverc. o, *lenon est* AE Erfurt., *leno est* cet. [c] ita λ, *conviolatur* cet. [d] *moriantur* λ.

[1] Nonnullos tradidisse Socratem duas simul habuisse uxores, Xanthippen et Myrtonem Aristidis iusti filiam, testis est Diog. Laërt. II 5, 10; hanc vero sententiam reprobat Plutarchus, Arist. 27. Orta autem esse videtur ea sententia ex Plat. rep. V p. 457 cd, ubi Socrates suadet, ut mulieres et liberi communes omnium sint in republica sua. [2] Plutarchus narrat (Cato min. 25) Hortensium a Catone familiari suo amicitiae stabiliendae causa petiisse, ut Mariam, coniugem suam, ex qua complures filios procreaverat, sibi in matrimonium daret; amici precibus Catonem obsecutum postea, Hortensio mortuo, Marciam iterum uxorem duxisse. [3] in aliena domo. [4] Tert. errat; nam non Cato Uticensis fuit censor, sed ille Cato, qui anno 149 a. Chr. diem supremum obiit et De re rustica scripsit. [5] convivari, una cenare. [6] Hieron. ep. 123, 15: 'Et illud, quod de Megarensibus dicitur, iure miseris coaptari potest: *Aedificant quasi semper victuri, vivunt quasi altera die morituri.* Et haec facimus, quia domini verbis non credimus.' Idem de Agrigentinis Empedoclem philosophum dixisse tradit Diog. Laërt. VIII 7, 63. Sed apud Plutarchum (*περὶ φιλοπλουτίας* p. 525b) idem a Stratonico in Rhodios, non Megarenses, dictum esse legitur. [7] Tribus, curiae, decuriae una in publico epulabantur; cfr. c. 35.

necessarius[1]; Herculanarum decimanarum et polluctorum sumptus tabularii subputabunt[2]; Apaturiis, Dionysiis, mysteriis Atticis cocorum dilectus indicitur; ad fumum cenae Serapiacae[a] sparteoli excitabuntur[3]. De solo[b] triclinio christianorum retractatur.

16 Cena nostra de nomine[4] rationem sui ostendit: id vocatur quod dilectio penes Graecos. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes quosque refrigerio isto iuvamus, non qua penes vos parasiti adfectant[5] ad gloriam famulandae[6] libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed qua penes deum maior est contemplatio mediocrium. 17 Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinae de causa aestimate[7]. Quod sit de religionis officio, nihil vilitatis, nihil inmodestiae admittit. Non prius discumbitur quam oratio ad deum praegustetur; editur quantum esurientes capiunt; bibitur quantum pudicis utile est.

[a] ita A, *serapiae* λ, *sarapiacae* o cum aliquot codd. [b] *loco* λ.

[1] Salios dicit tanto sumptu epulari, ut iis in inpensas pecuniam mutuam accipere sit necesse. Dapes Saliorum festis diebus lautissimas fuisse notum est; cfr. Hor. carm. I 37, 2—4 et Festus s. v. Salios. [2] Herculi a Romanis decuma frugum vel lucri vovebatur, et ex ea epulae delicatae, quibus nomen *pollucibilis cena* vel *polluctum* (pollucere, i. e. praebere) erat, instituebantur. Varro de lingua lat. VI 54: Quom enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in arcam, tum polluctum est. [3] Serapiacae cenae tantum esse adparatum ait, ut fumo sparteoli i. e. ii, qui ad incendia restinguenda vigilabant, excitarentur incendium ortum esse rati. [4] In iis, quae secuntur, agit Tert. de cena christianorum, cui nomen erat ἀγάπη. Batiffol is quidem cenam, quam hoc loco describit Tert., intellexit eucharisticam (Études d'hist. et de théologie positive, Paris. 1902, 279—311); sed ei optimo iure et felici eventu oblocutus est Funk (Revue d'hist. ecclésiastique, Lovanii 1903, 1—23; 1904, 1—15); Batiffol respondit in: Bulletin de littérature ecclésiastique 1904, 185—206; deinde contra eum scripsit Funk (Revue d'hist. ecclés. 1906, 1—15). [5] tendunt. [6] Verbum *famulare* etiam supra c. 21, 17 legitur. [7] Ex honesta causa reliquum rei ordinem honestum esse conligite.

18 Ita saturantur, ut qui[a] meminerint etiam per noctem[1] adorandum deum sibi esse; ita fabulantur[2], ut qui sciant dominum[b] audire. Post aquam manualem et lumina[3], ut quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium deo[c] canere; hinc probatur quomodo biberit. Aeque oratio convivium dirimit. 19 Inde disceditur non in catervas caesionum nec in classes discursationum nec in eruptiones[d] lasciviarum, sed ad eandem curam modestiae et pudicitiae, ut qui non tam cenam cenaverint quam disciplinam.

20 Haec coitio christianorum merito sane inlicita, si inlicitis par, merito damnanda[e], si quis de ea queritur eo titulo, quo de factionibus querela est. 21 In cuius perniciem aliquando convenimus? Hoc sumus congregati quod et dispersi; hoc universi quod et singuli, neminem laedentes, neminem contristantes. Cum probi, cum boni coeunt, cum pii, cum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia[4].

XL. *Iniuste accusantur christiani de calamitatibus publicis; immo 'leviora nunc accidunt, ex quo christianos a deo orbis accepit'.*

At e contrario illis nomen factionis adcommodandum est, qui in odium bonorum et proborum conspirant, qui adversum sanguinem innocentium conclamant, praetexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi[f] christianos esse in

[a] > λ. [b] *deum* λ. [c] *de deo* λ. [d] *inceptiones* λ. [e] + *si non dissimilis damnandis* λ. [f] + *in primordio temporum* λ.

[1] Haec igitur cena vesperi fiebat, non mane ut cena eucharistica; cfr. De cor. 3: antelucanis coetibus. [2] Haec Batiffol male interpretatur: acclamations par lesquelles l'assemblée s'unit à l'évêque. [3] i. e. postquam aqua manualis, qua post cenam opus erat, et lumina adlata sunt. Minus recte Batiffol cogitat de manuum lotione, quae ante orationem fieri solebat (Tert. de or. 11). [4] In curia seu senatu ordo et dignitas adcurate servabatur.

causa[a 1]. 2 Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva[b], si caelum stetit[2], si terra movit, si fames, si lues, statim: *Christianos ad leonem!* adclamatur[c]. Tantos ad unum[3]?

3 Oro vos, ante Tiberium, id est ante Christi adventum, quantae clades orbem et urbes ceciderunt? Legimus Hieran[4], Anaphen[5] et Delon et Rhodon et Co insulas multis cum milibus hominum pessum abisse[6]. 4 Memorat et Plato maiorem Asiae vel Africae[7] terram Atlantico mari ereptam[d 8]. Sed et mare Corinthium terrae motus ebibit[9], et vis undarum Lucaniam abscisam in Siciliae nomen relegavit[10]. Haec utique non sine iniuria[11] incolentium accidere potuerunt.

5 Ubi vero tunc, non dicam deorum vestrorum contemptores christiani, sed ipsi dei vestri, cum totum orbem cata-

[a] ita λ FG Vindob., *in causam* cet. [b] *rura* λ. [c] *inclamant* λ. [d] *inereptam* λ.

[1] *In causam* scripsere Oehler et Hoppe (Syntax p. 41, 2), qui provocant ad De idol. 15; quod non probo, quia sensus differt. *In causa esse* bis legitur De anim. 24. [2] Aug. de civ. dei II 3: 'Ex quorum imperitia illud quoque ortum est vulgare proverbium: *pluvia defit, causa christiani sunt.*' Omnia incommoda publica a vulgo christianis exprobrata esse, etiam Origenes tradit (tract. 28 in Matth., de la Rue III 857). [3] Ridet hanc loquendi rationem *ad leonem* pro: *ad leones.* Lampridius, Commod. 18 extr.: *delatores ad leonem!* [4] Hiera vel Thermessa parva insula erat ex Liparaeis insulis, prope Siciliam sita. [5] Anaphe erat una ex Cycladibus prope Theram sita. [6] Delon, Rhodon, Hieran, Anaphen insulas terrae motu ex mari enatas esse tradunt Plin. nat. h. II 87 et Amm. Marc. XVII 7, 13. Deli casum Tert. etiam De pall. 2 memorat; Rhodum terrae motu valde concussam esse tradunt etiam Eus. chron. ad an. Abr. 1910 et Oros. IV 13. [7] i. e. quam Asiam vel Africam. Genetivum comparationis graeco more Tert. aliquotiens adhibuit (Hoppe, Synt. 21). [8] Atlantidem insulam extra columnas Herculis sitam et Africa Asiaque maiorem narrat Plato, Tim. p. 24e. [9] Plin. nat. h. II 90 (92): In totum abstulit terras primum omnium ubi Atlanticum mare est, si Platoni credimus, inmenso spatio, mox interno, quae videmus hodie, mersam Acarnaniam Ambracio sinu, Achaiam Corinthio etc. [10] Plin. nat. h. II 88 (90): Namque et hoc modo insulas rerum natura fecit, avellit Siciliam Italiae. [11] damno.

clysmus abolevit, vel, ut Plato putavit, campestre[1] solummodo? 6 Posteriores enim illos clade diluvii contestantur ipsae urbes, in quibus nati mortuique[a] sunt, etiam quas condiderunt; neque enim alias in[b] hodiernum manerent, nisi et ipsae posthumae cladis illius. 7 Nondum Iudaeum[c] ab Aegypto examen Palaestina susceperat, nec iam illic christianae sectae origo consederat, cum regiones adfines eius Sodoma et Gomorra igneus imber exussit. Olet adhuc incendio terra, et si qua illic arborum poma, conantur oculis tenus[2], ceterum contacta cinerescunt[3]. 8 Sed nec Tuscia iam tunc[d] atque Campania de christianis querebantur, cum Vulsinios de caelo[4], Pompeios de suo monte perfudit ignis. Nemo adhuc Romae deum verum adorabat, cum Hannibal apud Cannas per[e] Romanos anulos cades suas[f] modio metiebatur[5]. 9 Omnes dei vestri ab omnibus colebantur, cum ipsum Capitolium Senones occupaverant[6]. Et bene quod, si

[a] *moratique* λ; cfr. c. 12: *solet et in insula aliqui deus vester aut nasci aut mori;* Ad nat. I 9 (73, 25): *in quibus nati morati et sepulti sunt.* [b] ita DFT, *illae in* λ, *alias* (sine *in*) o cum cet.; sed *hodiernum* aliis Tertulliani locis semper coniunctum est cum praep. *ad* vel *in*, ex. gr. Ad nat. I 9 (73, 26): *non alias enim superfuissent ad hodiernum.* [c] *Iudaeorum* λ. [d] > λ. [e] > λ. [f] *caede sua* λ.

[1] solos campos, non montes. Eandem sententiam Platonis adfert De pall. 2. [2] i. e. conantur quidem et adfectant, sed ultra speciem non proveniunt, quia contacta statim in cineres abeunt. [3] De lacu, qui hodie adpellatur Asphaltites, et campis, qui eum cingunt, agit Tac. hist. V 6 et 7, ex quo Tert. hausisse videtur; nam ita Tac. (c. 7) habet: 'Nam cuncta sponte edita aut manu sata, sive herba tenus aut flore seu solidam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem evanescunt.' Cfr. praeterea Iulium Africanum (fragm. 13 apud Routh rel. sacrae II 152) et Iosephum bell. Iud. IV 8, 4. [4] Plin. n. h. II 52 (53): Volsinii oppidum Tuscorum opulentissimum totum concrematum est fulmine. [5] Liv. XXIII 12. [6] anno 390 a. Chr. temporibus Camilli; cfr. Liv. V 41 ss. Deceptus est autem Tert. memoriae lapsu; nam Galli urbem praeter Capitolium cepere.

quid adversi urbibus accidit, eaedem clades templorum quae et moenium fuerunt, ut iam[a] hoc revincam[1], non ab eis evenire, quia et ipsis evenit[b].

10 Semper humana gens male de deo meruit; primo quidem ut inofficiosa eius, quem cum intellegeret ex parte, non requisivit, sed et alios insuper sibi commentata[2], quos coleret; dehinc quod non inquirendo innocentiae magistrum et nocentiae iudicem et exactorem omnibus vitiis et criminibus inolevit[3]. 11 Ceterum si requisisset, sequebatur, ut cognosceret requisitum et recognitum observaret et observatum propitium magis experiretur quam iratum. Eundem igitur nunc quoque scire debet iratum, quem et retro semper, priusquam christiani nominarentur. 12 Cuius bonis utebatur ante editis quam sibi deos fingeret, cur non ab eo etiam mala intellegat evenire, cuius bona esse non sensit? Illius rea est, cuius et ingrata[c].

13 Et tamen si pristinas clades comparemus, leviora nunc accidunt, ex quo christianos a deo orbis accepit. Ex eo[d] enim et innocentia saeculi iniquitates temperavit et deprecatores dei esse coeperunt. 14 Denique cum ab imbribus aestiva hiberna suspendunt[4] et annus in cura est, vos quidem cottidie pasti statimque pransuri, balneis et cauponiis[5] et lupanaribus operantibus, aquilicia Iovi immolatis[6], nudipedalia populo denuntiatis[7], caelum apud Capitolium quaeritis, nubila de laquearibus[8]

[a] + *et λ.* [b] *quae et ipsis similia evenerunt λ.* [c] *cuius bonis ingrata est λ.* De adiectivo ingratus cfr. Hoppe, Synt. 23. [d] *exinde λ.*

[1] convincam, demonstrem. [2] *Commentari* est comminisci, cogitando invenire. [3] Rom. 1, 21—24. [4] i. e. si aestiva tempestas hibernum caelum ab imbribus prohibet. Cypr. ad Demetr. 2: quodque imbres et pluvias serena longa suspendant. Idem de Mortal. 8: quando imbrem nubila serena suspendunt. Supra dixit Tert.: si caelum stetit. [5] cauponium, caupona (*καπηλεῖον*); cfr. Oehlerum ad h. l. [6] Aquilicia immolare est preces fundere et sacra facere ad pluviam impetrandam. [7] Petronius c. 44, 18 (ed. Buecheler): Antea stolatae ibant nudis pedibus in clivum, passis capillis, mentibus puris, et Iovem aquam exorabant; itaque statim urceatim plovebat. [8] templorum.

exspectatis, aversi ab ipso et deo et caelo. 15 Nos vero ieiuniis aridi et omni continentia expressi, ab omni vitae fruge dilati[1], in sacco et cinere volutantes invidia caelum tundimus[2], deum tangimus et cum misericordiam extorserimus, Iuppiter honoratur[a].

XLI. *Calamitatum culpam magis ethnici quam christiani merent; christiani iis non laeduntur.*

Vos igitur inportuni rebus humanis, vos[b] publicorum incommodorum inlices[3] semper, apud quos deus spernitur, statuae adorantur. Etenim[c] credibilius haberi debet eum irasci, qui neglegatur quam qui coluntur; aut[d] ne[4] illi iniquissimi, si[e] propter christianos etiam cultores suos laedunt, quos separare deberent a meritis christianorum.

2 Hoc, inquitis, et in deum vestrum repercutere est, si quidem[f] et ipse patitur[g], propter profanos etiam suos cultores laedi. Admittite prius dispositiones eius, et non retorquebitis. 3 Qui enim semel aeternum iudicium destinavit post saeculi finem, non praecipitat discretionem[5], quae est condicio iudicii, ante saeculi finem. Aequalis est interim super omne hominum genus et indulgens et incessens[h]; communia voluit esse et commoda profanis et incommoda suis, ut pari consortio omnes et lenitatem eius et severitatem experiremur. 4 Quia haec ita didicimus[i] apud ipsum, diligimus lenitatem, metuimus severitatem; vos contra utramque despicitis; et sequitur, ut omnes

a + *a vobis deus neglegitur* λ. b ita λ, + *rei* cet. c *utique enim* λ. d *sed* λ. e *qui* λ. f ita T, *si quod* So, *qui* (pro: *si quidem*) λ. g ita λ T, *patiatur* So; de indicativo cum *si quidem* coniuncto vide Hoppe, Synt. 83. h ita λ, *increpans* cet. i *qui autem ita discimus* λ.

1 alimentis in serum aut etiam crastinum diem dilatis. 2 nostrum: wir stürmen den Himmel. De iei. 16: Apud quasdam vero colonias praeterea annuo ritu saccis velati et cinere conspersi inediam supplicem obiciunt. Statius silv. V 5, 77: Nonne horridus ipsos | invidia superos iniustaque tartara pulsem? 3 quasi inlecebra. 4 profecto. 5 separationem.

saeculi plagae nobis, si forte, in admonitionem, vobis in castigationem in deo obveniant[a].

5 Atquin nos nullo modo laedimur; inprimis quia nihil nostra refert in hoc aevo, nisi de eo quam celeriter excedere; dehinc, quia si quid adversi infligitur, vestris[b] meritis deputatur. Sed etsi aliqua nos quoque praestringunt ut vobis cohaerentes, laetamur magis recognitione divinarum praedicationum, confirmantium[c] scilicet fiduciam et fidem spei nostrae[d]. 6 Sin vero ab eis, quos colitis[e], omnia vobis male[f] eveniunt[g] nostri causa, quid colere[h] perseveratis tam ingratos, tam iniustos, qui magis vos in dolore christianorum iuvare et adserere debuerant[i].

XLII. *Christiani non sunt infructuosi negotiis.*

Sed alio quoque[k] iniuriarum titulo postulamur: et infructuosi[l] negotiis dicimur[l]. Quo pacto homines vobiscum degentes, eiusdem victus habitus instructus, eiusdem ad vitam necessitatis? Neque enim Brachmanae[m] aut Indorum gymnosophistae sumus, silvicolae et exsules vitae[2]. 2 Meminimus gratiam debere nos deo domino creatori; nullum fructum operum eius repudiamus[3], plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur[n].

[a] *in admonitionem a deo obveniunt vobis in castigationem* λ. [b] + *id* λ. [c] *confirmamur ut* λ. [d] *agnoscentes* λ [e] *iam vero si ab his molitis* λ. [f] ita λ, *mala* cet [g] *veniunt* λ. [h] + *eos* λ. [i] ita λ, + *quos separare deberent a meritis christianorum* cet.; sed haec sententia ex priore loco (nr. 1) hic inmerito repetita est. [k] *adhuc* λ. [l] ita λ, + *in* cet.; cfr. infra: *infructuosi videmur negotiis vestris*, et c. 43: *his infructuosos esse*. [m] *brahmanae* A. [n] *mutamur* ABDE Erfurt.

[1] Min. Felix, Oct. 8: latebrosa et lucifuga natio, in publicum muta, in angulis garrula. [2] De Brachmanis agunt Suidas (s. v.) et Strabo XV p. 712, qui inter alia eos versari dicit *ἐν ἄλσει πρὸ τῆς πόλεως*. Gymnosophistas Indorum commemorat etiam Clemens Alex. strom. III 7 (Migne p. gr. VIII 1164). [3] Clem. Alex. l. l.: *Βραχμᾶναι γοῦν οὔτε ἔμψυχον ἐσθίουσιν οὔτε οἶνον πίνουσιν.*

Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis tabernis officinis stabulis nundinis vestris ceterisque commerciis cohabitamus hoc saeculum[a]. 3 Navigamus et nos vobiscum et[b] militamus et rusticamur et mercatus proinde miscemus, artes, opera nostra[c] publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videmur negotiis vestris, cum quibus et de quibus vivimus, non scio.

4 Sed[d] si caeremonias tuas non frequento, attamen et illa die homo sum. Non lavor diluculo[e] Saturnalibus, ne et noctem et diem perdam[1]; attamen lavor honesta hora[f] et salubri, quae mihi et calorem et sanguinem servet; rigere[g] et pallere post lavacrum mortuus possum[2]. 5 Non in publico Liberalibus discumbo[3], quod bestiariis supremam cenantibus mos est[4]; attamen ubicumque[h] de copiis tuis ceno. 6 Non emo capiti coronam; quid tua interest, emptis nihilominus floribus quomodo utar? Puto gratius esse[i] liberis et solutis et undique vagis; sed etsi in coronam coactis, nos coronam naribus novimus; viderint qui per capillum odorantur[5]. 7 Spectaculis non convenimus; quae

[a] ita λ, *in hoc saeculum* F, *in hoc saeculo* cet. [b] + *vobiscum* λ. [c] *operas nostras* λ. [d] *et* λ. [e] *non lavo sub noctem* λ. [f] *sed lavo et debita hora* λ. [g] *frigere* λ. [h] ita λ, *ubiubi* Haverc. o, *ubi* cet. [i] > λ.

[1] Saturnalibus per septem dies (17.—24. dec.) profusissimae laetitiae atque etiam petulantiae indulgebant Romani. Cum iisdem diebus tempestiva convivia adpararentur, maturius lavare oportebat; nam balnea epulas veterum antecessisse notum est. Hora autem balnei erat (Plin. ep. III 1, 8) hieme nona, aestate octava, secundum Iuvenalem XI 205 sexta, secundum Vitruvium V 10 a meridiano ad vesperum (Becker, Gallus II[3] 111 ss.). [2] Mortuos lavare solebant. [3] Liberalia agebantur Romae die 17. mensis Martii; sed hisce diebus in publico cenatum esse solus Tert. testis est. [4] De bestiariis suprema cenantibus cfr. Passionem ss. Perpetuae et Felicitatis c. 17: Pridie quoque cum illa cena ultima, quam liberam vocant, quantum in ipsis erat, non cenam liberam sed agapen cenarent squ. [5] Min. Fel., Oct. 38: Sane quod caput non coronamus, ignoscite; auram bonam floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire; nec mortuos coronamus. Cypr. de lapsis 2: ab inpio sceleratoque velamine, quo illic velabantur sacrificantium capita captiva, caput

tamen apud illos coetus venditantur[a] si desideravero, liberius[b] de propriis locis sumam. Thura plane non emimus; si Arabiae queruntur, sciant Sabaei plures et cariores[c] suas merces christianis sepeliendis profligari[1] quam deis fumigandis.

8 Certe, inquitis, templorum vectigalia cottidie decoquunt[2]; stipes quotusquisque iam iactat? Non enim subficimus et hominibus et deis vestris mendicantibus opem ferre, nec putamus aliis quam petentibus inpertiendum. Denique[3] porrigat manum Iuppiter et accipat[4], cum interim plus nostra misericordia insumit vicatim quam vestra religio templatim. 9 Sed cetera vectigalia gratias christianis agent ex fide dependentibus debitum, qua[d] alieno fraudando abstinemus, ut si ineatur[5] quantum publico[e] pereat fraude et mendacio vestrarum professionum[6], facile ratio haberi possit, unius speciei querela compensata pro commodo ceterarum rationum[f].

XLIII. *De sterilitate christianorum merito queruntur lenones, harioli omnisque generis malefici.*

Plane confitebor, quinam, si forte, vere de sterilitate christianorum conqueri possint[g]. Primi erunt lenones perductores

[a] + *quod ego* λ. [b] + *de suis* λ. [c] ita λ, *pluris et carioris* cet. [d] *cum* λ. [e] ita λ, *vectigalibus* cet. [f] *querela conpensato pro ceterarum rationum securitate* λ. Fortasse scribendum est: *querelae conpensato pro commodo cet. rat.;* cfr. De cultu fem. II 9: *conpensantibus scilicet habitus inritamenta pro frigore aetatis.* [g] *possunt* λ EGabc.

vestrum liberum mansit; frons cum signo dei pura diaboli coronam ferre non potuit, coronae se domini reservavit. [1] i. e inpendi; cfr. Gloss. Philox: 'profligatum, *καταναλωμένον*, *καταπονηθέν*'; Tac. ann. XVI 18: habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. [2] minuuntur. [3] *Denique* saepe ponitur pro *proinde* ex usu iurisconsultorum. [4] ut eleemosynam a nobis accipiat, quippe qui plus insumamus pecuniae quam vos. [5] supple: ratio. [6] i. e. rei familiaris professionum, quae fiebant census causa; cfr. Cic. in Verr. II 3, 47, 113.

aquarioli[1], tum sicarii venenarii magi, item haruspices harioli mathematici. 2 His infructuosos esse magnus est fructus. Et tamen quodcumque dispendium est rei vestrae per hanc sectam, cum aliquo[a] praesidio compensari potest. Quanti habetis, non dico iam qui[b] de vobis daemonia excutiant[c]; non dico iam qui pro vobis quoque vero deo preces sternant[d]; sed a quibus nihil timere possitis?

XLIV. *Christianus in carceribus nullus est, nisi aut suae tantum religionis reus aut desertor.*

At enim illud detrimentum reipublicae tam grande quam verum[e] nemo circumspicit, illam iniuriam civitatis nullus[f] expendit, cum tot iusti inpendimur, cum tot innocentes erogamur[2]. 2 Vestros enim iam contestamur actus, qui cottidie iudicandis custodiis praesidetis, qui sententiis elogia[3] dispungitis[4]. Tot[g] a vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur; quis illic sicarius, quis manticularius[5], quis sacrilegus aut corruptor aut lavantium praedo[6], quis idem[h] etiam christianus adscribitur? aut[i] cum christiani suo titulo obferuntur, quis ex illis etiam talis quales tot nocentes[k]? 3 De vestris semper aestuat carcer, de

[a] + *utique* λ. [b] ita λ, *non dico qui iam* cet. [c] *discutiant* λ. [d] ita λ, + *quia forte non creditis* cet. [e] *tam verum tam grande* λ. [f] *nullis* A. [g] *quot* λ. [h] ita λ, *ex illis* cet. [i] *proinde* λ. [k] *qualis etiam notatur nomine* λ.

[1] Perductores et aquarioli erant species vel ministri lenonum. Hor. sat. II 5, 76 s.: Putasne, | *perduci* poterit tam frugi tamque pudica? Festus: *Aquarioli* dicebantur mulierum inpudicarum sordidi adseclae. [2] Verba *inpendere* et *erogare* eodem sensu quo *interficere* a Tertulliano frequentantur. [3] Elogia erant tabellae, in quibus singulorum reorum aetas, crimen, nomina adnotata erant. [4] expungitis, absolvitis. [5] nostrum: Beutelschneider; nam vox *manticula* pro *sacculo* usurpabatur. Festus (s. v. manticula): Unde manticulari dicebantur, qui furandi gratia manticulas adtrectabant. [6] De fuga 13: fures balnearum.

vestris semper metalla suspirant, de vestris semper[a] bestiae saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt[1]. Nemo illic christianus, nisi hoc tantum[b]; aut si et aliud, iam non christianus[2].

XLV. *Christiani soli innocentes sunt.*

Nos ergo soli innocentes. Quid mirum, si necesse est? Enimvero necesse est. Innocentiam a deo edocti[c] et perfecte eam novimus, ut a perfecto magistro revelatam, et fideliter custodimus, ut ab incontemptibili dispectore[3] mandatam[d]. 2 Vobis autem humana aestimatio innocentiam tradidit, humana item dominatio imperavit; inde nec plenae nec adeo timendae estis disciplinae ad innocentiae veritatem. Tanta est prudentia hominis ad demonstrandum bonum, quanta[e] auctoritas ad exigendum; tam illa falli facilis, quam ista contemni. 3 Atque adeo quid plenius, dicere[f]: *Non occides,* an docere[g]: *Ne irascaris quidem?* Quid perfectius, prohibere adulterium, an etiam ab oculorum solitaria concupiscentia arcere? Quid eruditius, de maleficio, an et de maliloquio[h] interdicere? Quid instructius, iniuriam non permittere, an nec vicem iniuriae sinere[4]? 4 Dum tamen sciatis

[a] *etiam* λ. [b] ita λ, *nisi plane tantum christianus* cet. [c] *doctore* λ. [d] *intemtibili deo doctore praeceptam* λ. [e] *quanta prudentia hominis ad demonstrandum quid vere bonum tanta* λ. [f] *dictum est* λ. [g] *vero* λ. [h] *maleloquio* A.

[1] Munerarii (i. e. ii, qui munera edituri erant) noxios saginabant, ut robustiores evaderent. Cypr. ad Donatum 7: Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet; inpletur in succum cibis fortioribus corpus et arvinae toris membrorum moles robusta pinguescit, ut saginatus in poenam carius pereat. [2] Min. Felix, Oct. 35 fin.: christianus ibi nullus, nisi aut reus suae religionis aut profugus. [3] i. e. speculatore et iudice; nam *dispicere* est examinare, iudicare; cfr. supra c. 1: dispicere et coram examinare; De anima 15: dispectorem cordis deum. [4] *Vicem non sinere* idem est quod *vicem cohibere* (adv. Marc. IV 16); cfr. adv. Marc. IV 31 *vicem retribuere non posse;* Ap. 37: *vicem referre cohibemur.*

ipsas leges quoque vestras, quae videntur ad innocentiam pergere, de divina lege ut antiquiore forma[a 1] mutuatas[b]. Diximus iam de Moysi aetate[2].

5 Sed quanta auctoritas legum humanarum, cum illas et evadere homini contingat[c] plerumque in admissis delitiscenti et aliquando contemnere ex voluntate vel necessitate delinquenti? 6 Recogitate eam[d] etiam pro brevitate supplicii cuiuslibet, non tamen ultra mortem remansuri. Sic et Epicurus omnem cruciatum doloremque depretiat[3], modicum quidem contemptibilem pronuntiando, magnum vero non diuturnum[4]. 7 Enimvero nos, qui sub deo, omnium speculatore, dispungimur[5] quique aeternam ab eo poenam providemus, merito soli innocentiae occurrimus[6] et pro sapientiae plenitudine et pro latebrarum difficultate et pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verum sempiterni, eum[e] timentes, quem timere debebit et ipse, qui timentes iudicat, deum, non proconsulem timentes.

XLVI. *Christianismus est divinum negotium, non philosophiae genus; multum interest inter christianum et philosophum.*

Constitimus[7], ut opinor, adversus omnium criminum intentationem, quae christianorum sanguinem flagitat[8]; ostendimus totum statum nostrum[9], et quibus[f] probare possimus, ita esse sicut ostendimus, ex fide scilicet et antiquitate divinarum litte-

[a] ita etiam A. [b] *ut antiquiorem formam mutatas* λ. [c] ita λ, + *et* cet. [d] ita Kellner, > λ, *ea* cet. [e] *deum* λ. [f] ita λ, + *modis* cet.

[1] i. e. *ἀρχέτυπον*. [2] supra c. 19, 3. [3] minoris pretii facit. [4] Cic. de fin. II 7, 22: Iam doloris medicamenta illa Epicurea tamquam de narthecio proment: *Si gravis brevis, si longus levis.* Diog. Laërt. X 31, 4: *Οὐ χρονίζει τὸ ἀλγεῖν συνεχῶς ἐν τῇ σαρκί· ἀλλὰ τὸ μὲν ἄκρον τὸν ἐλάχιστον χρόνον πάρεστι, τὸ δὲ μόνον ὑπερτεῖνον τὸ ἡδόμενον κατὰ σάρκα οὐ πολλὰς ἡμέρας συμβαίνει.* [5] examinamur. [6] innocentiam sectamur. [7] Cfr. supra ad c. 4, 1. [8] supra c. 4—38. [9] supra c. 39—45.

rarum[1], item ex confessione spiritualium potestatum[a 2]. Quis[b] nos revincere audebit, non arte verborum, sed eadem forma, qua probationem constituimus, de veritate[c]?

2 Sed dum unicuique manifestatur veritas nostra, interim incredulitas, dum de bono sectae huius obducitur[3], quod usui iam et de commercio innotuit, non utique divinum negotium existimat[d], sed magis philosophiae genus. Eadem, inquit, et philosophi monent atque profitentur, innocentiam iustitiam patientiam sobrietatem pudicitiam. 3 Cur ergo quibus comparamur de disciplina, non proinde illis adaequamur ad licentiam inpunitatemque[e] disciplinae? vel cur et illi, ut pares nostri, non urgentur ad officia, quae nos non obeuntes periclitamur? 4 Quis enim philosophum sacrificare aut deierare aut lucernas meridie vanas prostituere[f 4] compellit? Quinimmo et deos vestros palam destruunt et superstitiones publicas[g] commentariis quoque accusant laudantibus vobis. Perique etiam in principes latrant[5] sustinentibus vobis, et facilius statuis et salariis remunerantur quam ad bestias pronuntiantur. 5 Sed merito; philosophi enim non christiani cognominantur. Nomen hoc philosophorum daemonia non fugat[h]. Quidni? cum secundum deos philosophi daemonas deputent[6]. Socratis vox est: *si daemonium permittat*[7]. Idem et cum[i] aliquid de veritate sapiebat deos negans, Aescu-

[a] + *existat* λ. [b] ita BDT, *qui* cet. [c] + *debebit renidi* (i. e. *reniti*) λ. [d] *existimatis* λ. [e] *non proinde adaequamur diligentia* (lege: *de licentia*) *et inmunitate* λ. [f] ita λ, *proferre* cet. [g] ita λ, *vestras* cet. [h] *fugiunt* λ. [i] *qui* λ.

[1] supra c. 19—20. [2] supra c. 22—23. [3] i. e. convincitur. [4] Ovid. am. I 15, 5: nec me ingrato vocem *prostituisse* foro. Arn. V 28: Viam comiter Prosumnus edisserit atque in limine ipso *prostituit* inferorum. [5] Suet., Vesp. 13: Demetrium cynicum in itinere obvium sibi post damnationem ac neque adsurgere neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam sibi nescio quid, satis habuit canem adpellare. [6] supra c. 23. [7] supra c. 22, 1: Socrate ipso ad daemonii arbitrium exspectante. Plato apol. 31 d.

lapio tamen gallinaceum prosecari[1] iam in fine iubebat, credo ab honorem patris eius, quia Socratem Apollo sapientissimum omnium cecinit[2]. 6 O Apollinem inconsideratum! Sapientiae testimonium reddidit ei viro, qui negabat deos esse. In quantum odium flagrat[3] veritas, in tantum qui eam ex fide praestat offendit; qui autem adulterat et adfectat[4], hoc maxime nomine gratiam pangit apud insectatores veritatis.

7 Quam inlusores et corruptores inimice[a] philosophi adfectant veritatem et adfectando corrumpunt, ut qui gloriam captant, christiani et necessario adpetunt et integre praestant, ut qui saluti suae curant[5]. 8 Adeo neque de scientia neque de disciplina, ut putatis, aequamur. Quid enim Thales, ille princeps physicorum, sciscitanti Croeso de divinitate certum renuntiavit, commeatus[6] deliberandi saepe frustratus[7]? 9 Deum quilibet opifex christianus et invenit et ostendit et exinde totum, quod in deum[8] quaeritur, re quoque adsignat; licet Plato adfirmet factitatorem universitatis neque inveniri facilem et inventum enarrari in omnes difficilem[b 9].

10 Ceterum si de pudicitia provocemus, lego partem sententiae Atticae in Socratem: corruptor adulescentium pronun-

[a] *inimici λ, mimice* ET. [b] *facile . . . difficile λ;* sed cfr. c. 45, 2: *falli facilis.*

[1] Idem verbum (pro *immolare*) legitur c. 9, 5. [2] Plato apol. 21[a]. [3] accensa est. [4] simulat vel corrumpit. [5] Gellius noct. Att. XVII 9, 1: qui rebus eius absentis curabant. Apuleius de deo Socr. 2: quibus eorum singuli curant. [6] i. e. tempus; supra c. 32. [7] Quae Tert. hoc loco et Ad nat. II 2 de Thale et Croeso narrat, a Cicerone (de nat. deor. I 22, 60) et Minucio Felice (Oct. 13) ad Simonidem philosophum et Hieronem regem referuntur; Tertullianus memoria frustratus esse videtur. Ex hoc exemplo satis patet, id quod ex multis iam aliis locis Apologetici conicere licet, Minucium Tertulliano, non Tertullianum Minucio usum esse. [8] circa deum. [9] Plato, Tim. p. 28[c]: *τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν.*

tiatur[a]. Christianus ad sexum[1] nec femina mutat[b 2]. Novi et Phrynen meretricem Diogenis supra recumbentis ardori subantem[3]; audio et quendam Speusippum de Platonis schola in adulterio perisse[4]. 11 Christianus uxori suae soli masculus nascitur[5]. Democritus excaecando semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia adspicere non posset et doleret, si non esset potitus[c], incontinentiam emendatione profitetur[6]. 12 At christianus salvis oculis feminas non videt[7]; animo adversus libidinem caecus est. 13 Si de probitate defendam, ecce lutulentis pedibus[8] Diogenes superbos Platonis toros alia superbia deculcat[d 9]; christianus[e] nec in pauperem superbit. Si de modestia certem, ecce Pythagoras apud Thurios[10], Zenon apud Prienenses tyran-

[a] ita λ, *corruptorem adulescentium pronuntiatum* (*pronuntiatam* DT) cet. [b] ita λ, *sexum nec femineum mutat christianus* cet. [c] *et doleret . . . potitus* > λ. [d] *decalcat* λ. [e] + *contumeliosus* λ.

[1] i. e. ad concubitum. De res. carn. 61: pigrior sexus. Adv. Val. 32: Despolior sexui meo (post mortem). [2] Verbum *mutare* saepius cum ablativo constructum est; cfr. supra c. 20, 2: sublimes humilitate mutantur. [3] Cum Phryne concubuisse Diogenem praeter Tertullianum nemo tradidit; cum Laide rem habuisse eum testes sunt Lucianus ver. hist. II 18 et Athenaeus deipnosoph. XIII p. 588[b] ss. [4] Erroris convincit Tertullianum Ios. Scaliger ad Eus. chron. p. 125; namque Diogenes Laërtius IV 1, 9 eum senio ac maerore confectum mortem ipsum sibi conscivisse narrat. De libidine Pseusippi agit Athenaeus deipn. XII p. 546. [5] Ita etiam Min. Felix, Oct. 35: nos uxoribus nostris solummodo viri nascimur. [6] Democritum oculis se privasse etiam Gellius n. Att. X 17, 1 et Cicero de fin. V 29, 87 narrant, ita tamen, ut id eum fecisse dicant, ne animus a cogitationibus seu contemplatione philosophiae abduceretur (cfr. etiam s. Hieron. adv. Iovin. II 9). Ipsum sibi manus intulisse tradit Diog. Laërt. IX 7, 11. [7] supple: cum libidine. [8] Diogenes enim ambulabat nudis pedibus. [9] Diog. Laërt. VI 2, 4: (*Διογένης*) *πατῶν αὐτοῦ* (*Πλάτωνος*) *ποτε στρώματα κεκληκότος φίλους παρὰ Διονυσίου ἔφη· Πατῶ τὴν Πλάτωνος κενοσπουδίαν. Πρὸς δν ὁ Πλάτων· Ὅσον ὦ Διόγενες τοῦ τύφου διαφαίνεις, δοκῶν μὴ τετυφῶσθαι. Οἱ δέ φασι τὸν Διογένην εἰπεῖν· Πατῶ τὸν Πλάτωνος τύφον· τὸν δὲ φάναι· Ἑτέρῳ γε τύφῳ Διόγενες.* [10] Ita etiam Diog. Laërt. VIII 1, 21; sed hic pro Thuriis recte Crotonem urbem et totam rem quasi incertam prodit.

nidem adfectant[1]; christianus vero nec aedilitatem. 14 Si de aequanimitate congrediar, Lycurgus apocarteresin optavit, quod leges eius Lacones emendarint[a 2]; christianus etiam damnatus gratias agit. Si de fide comparem, Anaxagoras depositum hospitibus[b] denegavit[3]; christianus et extra[4] fidelis vocatur[5]. 15 Si de simplicitate consistam, Aristoteles familiarem suum Hermian turpiter loco excedere fecit[6]; christianus nec inimicum suum laedit. Idem Aristoteles tam turpiter Alexandro, regendo potius, adulatur[7], quam Plato a Dionysio ventris gratia venditatur[8]. 16 Aristippus in purpura sub magna gravitatis superficie nepotatur[9], et Hippias, dum civitati insidias disponit, occiditur[10]. Hoc pro suis omni atrocitate dissipatis nemo umquam temptavit christianus.

17 Sed dicet aliquis, etiam de nostris excidere[c] quosdam[d] a regula disciplinae. Desinunt tamen christiani haberi penes

[a] ita λ, *emendassent* cet. [b] ita λ, *hostibus* cet. [c] ita λ, *excedere* cet. [d] *quaedam* λ.

[1] Zenonem philosophum aliquem Prienensium tyrannidi studentem praeter Tertullianum nemo commemorat. [2] supra c. 4, 6. Apocarteresis est mors per inediam voluntariam inlata. [3] Res ceteroquin incognita est. [4] inter extraneos. [5] Plin. ep. X 96 (al. 97) de christianis ita testatur: seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed . . . ne fidem fallerent, ne depositum appellati negarent. [6] Quid his verbis sibi velit Tert., non liquet. Aristotelis et Hermiae familiaritatis testis est Eusebius praep. ev. XV 2. [7] Aristotelem Alexandro adulescenti adulatum esse etiam Tatianus adv. Graec. 2 narrat. [8] Tat. l. l. *Πλάτων φιλοσοφῶν ὑπὸ Διονυσίου διὰ γαστριμαργίαν ἐπιπράσκετο.* Lact. inst. div. III 25: 'Enumerant enim Platonem ac Diogenem, qui tamen servi non fuerunt, sed his servitus evenerat, sunt enim capti; Platonem quidem redemisse Aniceris quidam traditur sestertiis octo; itaque insectatus est conviciis hunc ipsum redemptorem Seneca, quod parvo Platonem aestimaverit.' Ter fuit Plato in Sicilia, primum maiore regnante Dionysio, iterum ac tertium iuniore (Diog. Laërt. III 13—16); res narrata sub iuniore evenisse videtur. [9] i. e. luxuriavit. Tat. l. l.: *Ἀρίστιππος ἐν πορφυρίδι περιπατῶν ἀξιοπίστως ἡσωτεύσατο.* Ex Tatiano Tertullianus haec de Aristotele, Platone, Aristippo sumpsit. [10] Tert. Hippiam Eleum sophistam cum filio Pisistrati tyranni confundit.

nos; philosophi vero illi cum talibus factis in nomine et honore sapientiae perseverant[a]. 18 Adeo quid simile philosophus et christianus, Graeciae discipulus et caeli, famae negotiator[1] et vitae, verborum et factorum operator, et rerum aedificator et destructor, amicus et inimicus erroris, veritatis interpolator[2] et integrator et expressor[3], et furator eius et custos?

XLVII. *Philosophi et poëtae, quae in sacra scriptura invenerunt vera, cum propriis erroribus miscuerunt.*

Antiquior omnibus veritas, nisi fallor, et hoc[b] mihi proficit antiquitas praestructa divinae litteraturae[4], quo facile credatur, thesaurum eam fuisse posteriori cuique sapientiae. Et si non onus iam voluminis temperarem, excurrerem[c] in hanc quoque probationem. 2 Quis poëtarum, quis sophistarum, qui non omnino[d] de prophetarum fonte potaverit? Inde igitur[e] philosophi sitim ingenii sui rigaverunt, ut quae de nostris habent, ea nos comparent illis[f]. Inde, opinor, et a quibusdam philosophia[g] quoque eiecta est, a Thebaeis dico et a Spartiatis et Argivis. 3 Dum ad nostra conantur[5] et[h] homines gloriae, ut diximus, et eloquentiae solius libidinosi, si quid in sanctis[i] offenderunt digestis[6], pro[k] instituto curiositatis ad propria verterunt, neque

[a] + *apud vos* λ. [b] *Adhuc enim* (*antiquior . . . et* >) λ. [c] *excucurrissem* λ. [d] ita codd. omnes. [e] + *et* λ. [f] *num quia quaedam de nostris habent eapropter nos conparent illis* λ. [g] + *legibus* λ. [h] *sed* λ. [i] ita λ, + *scripturis* cet. [k] ita (λ) bcd Haverc., *ex pro* ABE Erfurt. Oxon. Kellner, *ex proprio* o.

[1] De anim. c. 1 philosophus *gloriae animal* vocatur, quam adpellationem s. Hieronymus bis repetivit. [2] i. e. corruptor. De spect. 2: Multum interest inter corruptelam et integritatem, quia multum est inter institutorem et interpolatorem. [3] qui verbis operibusque eam exprimit. [4] supra c. 19. [5] supra c. 40, 7: conantur oculis tenus. [6] i. e. scripturis; cfr. Ad nat. II 1: ex omnibus retro digestis; Adv. Marc. IV 3: et inde sunt nostra digesta; l. l. 5: digestum Lucae. Itaque vox *scripturis*, quae in omnibus codicibus praeter Fuldensem et ab Oehlero addita est, pro subpositicia habenda est.

satis credentes divina esse, quo minus interpolarent, neque satis intellegentes, ut adhuc tunc subnubila, etiam ipsis Iudaeis obumbrata, quorum propria videbantur. 4 Nam et si qua simplicitas erat veritatis, eo magis scrupulositas humana fidem aspernata nutabat[a], per quod in[b] incertum miscuerunt etiam quod invenerant certum.

5 Inventum enim solummodo deum non ut invenerant disputaverunt, ut et de qualitate et de natura eius et de sede disceptent. 6 Alii incorporalem adseverant, alii corporalem, ut tam Platonici quam[c] Stoici[1]; alii ex atomis, alii ex numeris, qua Epicurus et Pythagoras; alius[d] ex igni, qua Heraclito visum est; et Platonici quidem curantem rerum[2], contra Epicurei otiosum et inexercitum, et ut ita dixerim, neminem humanis rebus[e 3]; 7 positum vero extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc; intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo intra id maneat, quod regat. 8 Sic et de ipso mundo, natus innatusve sit, decessurus mansurusve sit, variant; sic et de animae statu, quam alii divinam et aeternam, alii dissolubilem contendunt; ut quis sensit, ita et intulit aut reformavit.

9 Nec mirum, si vetus instrumentum[4] ingenia philosophorum interverterunt. Ex horum semine etiam nostram hanc novitiolam paraturam[5] viri quidam[f 6] suis opinionibus ad philosophicas

[a] ita λ F et Ad nat. II 2 (96, 1), *mutabat* cet. [b] ita λ o et Ad nat. l. l., > cet. [c] *adseverant qua Platonici et* λ. [d] > λ. [e] *in rebus humanis* λ. [f] *variis quibusdam* λ.

[1] Plato deum incorporalem (ἀσώματον) docuit; cfr. Plat., Tim. 51[a]; Cic. de nat. deor. I 12, 30; Diog. Laërt. III 41, 77. Stoicorum deum corporeum fuisse omnes sciunt. [2] *Curantem rerum* etiam Ad nat. II 2 legitur. [3] Lucretius de rer. nat. II 644 ss.: Omnis enim per se divom natura necesse est | inmortali aevo summa cum pace fruatur, | semota a nostris rebus seiunctaque longe. Cic. de nat. deor. I 37, 102: At ipsi tamen pueri, etiam si cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur; deum sic feriatum volumus cessatione torpere, ut, si se commoverit, vereamur, ne beatus esse non possit. [4] vetus testamentum. [5] novum testamentum. [6] haeretici.

sententias adulteraverunt et de una via obliquos multos et inexplicabiles tramites sciderunt[a]. Quod ideo suggesserim[b], ne cui nota varietas sectae huius in hoc quoque nos philosophis adaequare videatur, et ex varietate defectionem vindicet veritatis[c 1]. 10 Expedite autem praescribimus adulteris nostris, illam esse regulam veritatis, quae veniat a Christo transmissa per comites ipsius, quibus aliquanto posteriores diversi isti commentatores probabuntur[d 2].

11 Omnia adversus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus aemulationem istam spiritibus erroris. Ab his adulteria huiusmodi salutaris disciplinae subornata, ab his quaedam etiam fabulae inmissae, quae de similitudine fidem infirmarent veritatis, vel eam sibi potius evincerent[e], ut quis ideo non putet christianis credendum, quia nec poëtis nec philosophis, vel ideo magis poëtis et philosophis existimet credendum, quia non christianis[3].

12 Itaque ridemur praedicantes deum[f] iudicaturum. Sic enim et poëtae et philosophi tribunal apud inferos ponunt. Et gehennam si comminemur, quae est ignis arcani subterranei[g] ad poenam thesaurus, proinde decachinnamur. Sic enim et Pyriphlegeton apud mortuos amnis est. 13 Et si paradisum nominemus, locum divinae amoenitatis recipiendis sanctorum spiri-

[a] *exciderunt* λ. [b] *suggerimus* λ. [c] ita λ, *defensionum iudicet veritatem* cet. [d] *deprehenduntur* λ. [e] *vel eadem sibi potius fidem raperent* λ. [f] ita A, *deum praeiudicantes* λ. [g] ita ego, *subterranea* ABFG Vindob., *subterraneus* T Haverc., *subterraneam* DEo.

[1] Sensus est: Ex christianis multi ut philosophi in varias sectas abierunt; sed hi veritatem adulteraverunt seu de recta via veritatis aliquos tramites diffiderunt; proinde ex varietate sectarum christiarum veritatem defecisse vel interiisse ne quis imaginetur. [2] Librum, quem De praescriptione haereticorum scripturus erat, significare videtur. [3] Ita etiam Iustinus ap. I 54: *Ἀκούσαντες γὰρ (οἱ δαίμονες) διὰ τῶν προφητῶν κηρυσσόμενον παραγενησόμενον τὸν χριστόν, καὶ κολασθησομένους διὰ πυρὸς τοὺς ἀσεβεῖς τῶν ἀνθρώπων, προεβάλλοντο πολλοὺς λεχθῆναι γενομένους υἱοὺς τῷ Διΐ* etc.

tibus destinatum, maceria quadam igneae illius zonae[1] a notitia orbis communis segregatum, Elysii campi fidem occupaverunt. Unde haec, oro vos, philosophis aut poëtis tam consimilia? nonnisi de nostris sacramentis[2]. 14 Si de nostris sacramentis, ut de prioribus, ergo fideliora sunt nostra magisque credenda, quorum imagines quoque fidem inveniunt[a]. Si de suis sensibus[3], iam ergo sacramenta nostra imagines posteriorum habebuntur, quod rerum forma[4] non sustinet; numquam enim corpus umbra aut veritatem imago praecedit.

XLVIII. *Dogma christianum de resurrectione carnis defenditur.*

Age iam, si qui philosophus adfirmet, ut ait Laberius de sententia Pythagorae[5], hominem fieri ex mulo, colubram ex muliere[6], et in eam opinionem omnia argumenta eloquii virtute distorserit, nonne consensum movebit et fidem infiget? Etiam ab animalibus abstinendi propterea[b] persuasum quis habeat, ne forte bubulam de aliquo proavo suo obsonet. At enim christianus si de homine hominem ipsumque de Gaio Gaium reducem repromittat, statim illic vesica quaeritur[7] et[c] lapidibus magis, nec saltim caedibus[d] a populo exigetur.

[a] *invenerunt* λ. [b] ita recte interpungit Kellner; '*infiget etiam ab animalibus abstinendi propterea?*' Oehler, '*infiget ut etiam ab an. abstinendum propterea*' van der Vliet, '*infiget etiam ab an. abstinendi? Propterea*' cet. [c] ita λ, *queritur* Haverc., *statim illic vesica quaeritur et* > cet. [d] ita DET, *copiis* λ, *caestibus* Haverc., *coetibus* cet.

[1] De caelo igneo seu stellato loquitur, non De Pyriphlegetonte, ut Oehler opinatus est. [2] mysteriis seu doctrinis. [3] ex sua mente. [4] natura vel lex naturae. [5] Pythagoras metempsychosim docuit. [6] Ubi haec D. Laberius comicus dixerit, non liquet; fragmenta eius conlegit Ribbeck, Scenicae Romanorum poesis fragmenta II, Lips. 1873, 279—305. Verba *sic hominem fieri ex mulo, colubram ex muliere* senarium esse notavit Buecheler. [7] Inmerito haec sententia, quae in solo codice Fuldensi legitur, ab editoribus eiecta est. Vox *vesica* hoc loco aut veram membranam significat aut figurate posita est pro lusu seu cavillatione; pro priore sensu

2 Si[a] quaecumque ratio praeest[1] animarum humanarum[b] reciprocandarum in corpora, cur non in eandem substantiam redeant, cum hoc sit restitui: id esse, quod fuerat? Iam non ipsae sunt, quae fuerant, quia non potuerunt esse, quod non erant, nisi desinant esse quod fuerant[2]. 3 Multis etiam locis[3] ex otio[c] opus erit, si velimus ad hanc partem lascivire, quis in quam bestiam reformari videretur. Sed de nostra magis defensione, qui proponimus, multo utique dignius credi[4], hominem ex homine rediturum, quemlibet pro quolibet, dum hominem; ut eadem qualitas animae in eandem restauraretur conditionem, etsi non effigiem. 4 Certe quia ratio restitutionis destinatio iudicii est, necessario idem ipse, qui fuerat, exhibebitur, ut boni seu contrarii meriti iudicium a deo referat. Ideoque repraesentabuntur et corpora, quia neque pati quicquam potest anima sola sine materia stabili, id est carne[5], et, quod[d] omnino de iudicio dei

[a] *quasi non* λ. [b] Quae secuntur, in λ ita leguntur: '*in corpora reciprocandarum, ipsa exigat illas in eadem corpora revocari, id est esse quod fuerant; nam si non id sunt quod fuerant, id est humanum et id ipsum corpus indutae, iam non ipsae erunt quae fuerant; porro quae iam non erunt ipsae, quomodo redisse dicentur? aut aliud factae non erunt ipsae aut manentes ipsae non erunt aliunde Multis etiam* squ.' [c] *iocis et otio* Haverc. [d] > λ.

cfr. Senecam nat. quaest. II 27, ubi de tonitruis ita disserit: 'Aliud genus est acre, quod acerbum magis dixerim quam sonorum, qualem audire solemus, cum *super caput dirupta vesica est*.' Pro altero sensu cfr. Martial. epigr. IV 49, 7: 'a nostris procul est omnis vesica libellis.' Havercamp correxit: *vesica queritur*, quod ita explicat: *Statim egrediuntur auditorio, quasi mingendi necessitas urgeat;* non probo. [1] i. e. valet. De carne Chr. 17: Ante omnia autem commendanda erit ratio, quae praefuit, ut dei filius de virgine nasceretur. [2] Sensus est: Si animae humanae in corpora bestiarum transirent, non iam essent, quae fuerant. [3] i. e. scriptorum. Havercamp et Kellner pro 'locis' coniecerunt: 'iocis.' [4] Sensus est: 'Sed his supersedeo, ut transeam ad defensionem, quam proposui: *multo utique dignius est credi* squ.' [5] Hominem resuscitatum materialiter eundem esse atque eum, qui mortem occubuit, animamque a corpore separatam nihil boni vel mali pati posse, etiam De

pati debent animae, non sine carne meruerunt, intra quam omnia egerunt.

5 Sed quomodo, inquis, dissoluta materia exhiberi potest? Considera temetipsum, o homo, et fidem rei invenies. Recogita, quid fueris antequam esses. Utique nihil; meminisses enim, si quid fuisses. Qui ergo nihil fueras priusquam esses, idem nihil factus cum esse desieris, cur non possis rursus esse de nihilo eiusdem ipsius auctoris voluntate, qui te voluit esse de nihilo? 6 Quid novi tibi eveniet? Qui non eras, factus es; cum iterum[a] non eris, fies. Redde, si potes, rationem, qua factus es, et tunc require, qua fies. Et tamen facilius utique fies quod fuisti aliquando, quia aeque non difficile factus es, quod numquam fuisti aliquando.

7 Dubitabitur, credo, de dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi de eo, quod non fuerat, non minus quam de morte vacationis et inanitatis inposuit[1] animatum spiritu[b] omnium animarum[c] animatore[2], signatum[3] et[d] ipsum humanae resurrectionis exemplum in testimonium vobis. 8 Lux cottidie interfecta[4] resplendet et tenebrae pari vice decedendo succedunt, sidera defuncta vivescunt, tempora ubi finiuntur, incipiunt, fructus consummantur et redeunt, certe semina non nisi corrupta et dissoluta fecundius surgunt; omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur. 9 Tu homo, tantum nomen, si intellegas

[a] *et iterum cum λ.* [b] *spiritum* A. [c] > *λ.* [d] + *per λ.*

test. an. 4 docetur: 'quibus sustinendis necessario tibi substantiam pristinam eiusdemque hominis materiam et memoriam reversuram, quod et nihil mali ac boni sentire possis sine carnis passionalis facultate.' [1] condidit; cfr. De pall. 1: ubi moenia Statilius Taurus inposuit. [2] Haec mihi de anima quadam mundi intellegenda videntur esse. Cic. de nat. deor. I 11, 27: Nam Pythagoras, qui censuit animum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur squ. [3] evidens; cfr. De res. carnis 13: Quid expressius atque signatius in hanc causam? [4] Verbo *interficere* de rebus inanimis Afri potissimum usi sunt.

te vel de titulo Pythiae[1] discens[a], dominus omnium morientium et resurgentium, ad hoc morieris, ut pereas? Ubicumque resolutus fueris, quaecumque te materia destruxerit, hauserit, aboleverit, in nihilum prodegerit, reddet te[b]. Eius est nihilum ipsum, cuius et totum.

10 Ergo, inquitis, semper moriendum erit et semper resurgendum? Si ita rerum dominus destinasset, ingratis[2] experireris condicionis tuae legem. At nunc non aliter destinavit quam praedicavit. 11 Quae ratio universitatem ex diversitate composuit, ut omnia[c] aemulis[3] substantiis sub unitate constarent ex vacuo et solido, ex animali et inanimali, ex comprehensibili et incomprehensibili, ex luce et tenebris, ex ipsa vita et morte, eadem aevum quoque ita distincta[d] conditione conseruit, ut prima haec pars, ab exordio rerum quam incolimus, temporali aetate ad finem defluat, sequens vero, quam exspectamus, in infinitam aeternitatem propagetur.

12 Cum ergo finis et limes, medius qui interhiat[4], adfuerit, ut etiam ipsius mundi species transferatur aeque temporalis, quae illi dispositioni aeternitatis aulaei vice[5] obpansa est, tunc restituetur omne humanum genus ad expungendum[6], quod in isto aevo boni seu mali meruit, et exinde pendendum in inmensam aeternitatis perpetuitatem. 13 Ideoque nec mors iam, nec rursus ac rursus resurrectio, sed erimus idem qui nunc, nec alii post, dei quidem cultores apud deum semper, superinduti substantia propria aeternitatis; profani vero et qui non integre ad deum, in poena[e] aeque iugis ignis, habentes ex ipsa natura eius[7] divinam scilicet subministrationem incorruptibilitatis.

14 Noverunt et philosophi diversitatem arcani et publici

[a] *disces deum λ.* [b] *redegerit reddet λ.* [c] + *ex λ.* [d] ita *λ, destinata ac distincta* cd Haverc., *destinata et distincta* o, *destinata distincta* cet. [e] *in poenam λ.*

[1] *γνῶθι σαυτόν.* [2] invitus. [3] contrariis. [4] finis mundi. Minus recte Oehler haec verba de spatio mille annorum interpretatur. [5] veli instar. [6] ad accipiendum praemium vel supplicium subeundum. [7] i. e. ignis.

ignis. Ita longe alius est, qui usui humano, alius qui iudicio dei adparet, sive de caelo fulmina stringens, sive de terra per vertices montium eructans; non enim absumit quod exurit, sed dum erogat, reparat. 15 Adeo manent montes semper ardentes, et qui de caelo tangitur, salvus est, ut nullo iam igni decinerescat[1]. Et hoc erit testimonium ignis aeterni, hoc exemplum iugis iudicii poenam nutrientis: montes uruntur et durant. Quid nocentes et dei hostes?

XLIX. *Christianorum de resurrectione doctrina, etsi cui inepta videatur, tamen innoxia est.*

Haec sunt, quae in nobis solis praesumptiones[2] vocantur, in philosophis et poëtis summae scientiae et insignia ingenia, Illi prudentes, nos inepti[3]; illi honorandi, nos inridendi, immo eo amplius et puniendi. 2 Falsa nunc sint quae tuentur[4] et merito praesumptio, attamen necessaria; inepta, attamen utilia: siquidem meliores fieri coguntur qui eis credunt, metu aeterni supplicii et spe aeterni refrigerii. Itaque non expedit, falsa dici nec inepta haberi, quae expedit vera praesumi[a]. Nullo titulo damnari licet omnino quae prosunt. 3 In vobis itaque praesumptio est haec ipsa, quae damnat utilia. Proinde nec inepta esse possunt: certe etsi falsa et inepta, nulli tamen noxia[5]. Nam

[a] + *proinde λ.*

[1] Sensus obvius horum verborum is est, ut Tert. corpora fulmine tacta igne consumi non posse censeat. Sed recte Minucius Felix Septimium nostrum intellexisse videtur, cum scribit (Oct. 35): Sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt squ. [2] Christianorum cum tota religio tum quae de resurrectione docebant, a gentilibus praesumptio vel praesumptiones vocabantur. De test. an. 4: Ea opinio christianorum, etsi honestior multo Pythagorica .... tamen propter suum nomen soli vanitati et stupori et, ut dicitur, praesumptioni deputatur. [3] Lact. inst. div. IV 13: Cur igitur vulgo pro stultis et vanis et ineptis habemur? [4] Subiectum intellege: *haec.* [5] Iust. ap. I 8: *Εἰ μὲν οὖν ἄπιστον ἢ ἀδύνατον τοῦτο φήσει τις, πρὸς ἡμᾶς ἥδε ἡ πλάνη ἐστίν, ἀλλ' οὐ πρὸς ἕτερον, μέχρις οὗ ἔργῳ μηδὲν ἀδικοῦντες ἐλεγχόμεθα.*

et multis aliis similia, quibus nullas poenas inrogatis, vanis et fabulosis, inaccusatis et inpunitis ut innoxiis. 4 Sed in eiusmodi[1] enim, si utique[2], inrisui[a] iudicandum est, non gladiis et ignibus et crucibus et bestiis[3]; de qua iniquitate saevitiae non modo caecum hoc vulgus exsultat et insultat, sed et quidam vestrum, quibus favor vulgi de iniquitate captatur, gloriantur. 5 Quasi non totum, quod in nos potestis, nostrum sit arbitrium. Certe, si velim, christianus sum. Tunc ergo me damnabis, si damnari velim. Cum vero quod in me potes, nisi velim, non potes[b], iam meae voluntatis est quod potes, non tuae potestatis. Proinde et vulgus vane de nostra vexatione gaudet. 6 Proinde enim nostrum est gaudium, quod sibi vindicat, qui malumus damnari quam a deo excidere. Contra illi, qui nos oderunt, dolere, non gaudere debebant, consecutis nobis quod elegimus.

L. *De martyrio christiano.*

Ergo, inquitis, cur querimini, quod vos insequamur, si pati vultis, cum diligere debeatis, per quos patimini quod vultis? Plane volumus pati[c 4], verum eo more, quo et bellum miles[d]. Nemo quidem libens patitur, cum et trepidare et periclitari sit necesse. 2 Tamen et proeliatur omnibus viribus, et vincens in proelio gaudet qui de proelio querebatur, quia et gloriam consequitur et praedam. Proelium est nobis, quod provocamur ad tribunalia, ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus.

[a] *inrogatis in eiusmodi accusatis et inpunitis ut noxiis aeque enim si utique inrisum λ.* [b] *posses λ.* [c] > *λ.* [d] > *λ.*

[1] Vocibus *eiusmodi* et *huiusmodi* Tert. tamquam substantivis uti solet. [2] suppe: iudicandum est. Haec locutio *si utique* similis est illi *si forte*, cui iam saepe in hoc opusculo occurrimus. [3] Iust. ap. I 68: *εἰ δὲ λῆρος ὑμῖν δοκεῖ, ὡς ληρωδῶν πραγμάτων καταφρονήσατε καὶ μὴ ὡς κατ' ἐχθρῶν κατὰ τῶν μηδὲν ἀδικούντων θάνατον ὁρίζετε.* [4] supra c. 1, 13: Quod hoc malum est, cuius reus gaudet, cuius accusatio votum est et poena victoria?

Victoria est autem, pro quo certaveris, obtinere. Ea victoria habet et gloriam placendi deo et praedam vivendi in aeternum.

3 Sed obducimur[1]. Certe cum obtinuimus. Ergo vicimus[a], cum occidimur, denique evadimus, cum obducimur. Licet nunc sarmenticios et semaxios[b 2] adpelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur[3]. Hic est habitus victoriae nostrae, haec palmata vestis[4], tali curru triumphamus. 4 Merito itaque victis non placemus; propterea enim[c] desperati et perditi existimamur[5]. Sed haec desperatio et perditio penes vos in causa[d] gloriae et famae vexillum virtutis extollunt.

5 Mucius dexteram suam libens in ara reliquit[6]: o sublimitas animi! Empedocles totum sese Catanensium[e] Aetnaeis incendiis donavit[7]: o vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo[f] secundum matrimonium dedit[g 8]: o praeconium castitatis!

[a] *vincimus* λ. [b] *sarmentarios et semiaxios* λ. [c] *placemus merito* λ. [d] *causam* λ. [e] *Atheniensium* ADEFG, > λ. [f] ita λ, + *se* cet. [g] *evadit* λ.

[1] convincimur et succumbimus adversariis; cfr. c. 46, 2. [2] Ita christiani a gentilibus per ludibrium adpellabantur, quia eorum velut sacrilegorum et magorum poena vulgaris erat vivicomburium. Paulus sentent. V 23, 17: 'Magicae artis conscios summo supplicio adfici placuit i. e. bestiis obici aut cruci suffigi; ipsi autem magi vivi exuruntur.' [3] Christiani cremandi ad stipitem vel palum, qui in longitudinem dimidii axis patebat, adligati sarmentis circumponebantur. Mart. s. Polyc. 13—14: *Μελλόντων δὲ αὐτῶν καὶ προσηλοῦν εἶπεν· ἄφετέ με οὕτως . . . οἱ δὲ οὐ καθήλωσαν μέν, προσέδησαν δὲ αὐτόν.* [4] Vestis palmata i. e. cui palmae intextae adparebant, insigne triumphantium erat. [5] Desperati ac perditi christiani increpabantur propter constantiam. Lact. inst. div. V 9: Qui autem magni aestimaverint fidem cultoresque se dei non abnegaverint, . . . desperatos vocant, quia corpori suo minime parcunt. [6] Liv. II 12. [7] Diog. Laërt. VIII 2, 11: *Περὶ δὲ τοῦ θανάτου αὐτοῦ διάφορός ἐστιν ὁ λόγος . . . Ἱππόβοτος δέ φησιν ἐξαναστάντα αὐτὸν ὠδευκέναι ὡς ἐπὶ τὴν Αἴτνην, εἶτα παραγενόμενον ἐπὶ τοὺς κρατῆρας τοῦ πυρὸς ἐναλέσθαι καὶ ἀφανισθῆναι, βουλόμενον τὴν περὶ αὐτοῦ φήμην βεβαιῶσαι, ὅτι γεγόνοι θεός.* [8] Dido post Sichaei mariti mortem, ne Iarbae Maurorum regi nubere cogeretur, rogo se dedit (Iust. XVIII 4—7).

6 Regulus ne unus pro multis hostibus viveret, toto corpore cruces patitur[1]: o virum fortem et[a] in captivitate victorem! Anaxarchus cum in exitum[b] tisanae pilo contunderetur[2]: *Tunde, tunde,* aiebat, *Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis*[3]: o philosophi magnanimitatem, qui de tali exitu suo etiam iocabatur! 7 Omitto eos, qui cum gladio proprio vel alio genere mortis mitiore de laude pepigerunt. Ecce enim et tormentorum certamina coronantur a vobis. 8 Attica[c] meretrix carnifice iam fatigato postremo linguam suam comesam in faciem tyranni saevientis exspuit[d], ut exspueret[e] et vocem, ne coniuratos confiteri posset, si etiam[f] victa voluisset[4]. 9 Zeno Eleates consultus a Dionysio[5], quidnam philosophia praestaret, cum respon-

[a] *etiam λ.* [b] *exemplum λ.* [c] + *quaedam λ.* [d] *expellit* ABFG. [e] ita (λ) DETo et Ad nat. I 18 (90, 9), *expelleret λ.* [f] *etiamsi λ.*

[1] Cic. de off. III 26. 27; Val. Max. II 9, 8; Tert. ad nat. I 18: crucis vero novitatem numerosae, abstrusae Regulus vester libenter dedicavit. [2] Anaxarchus contusus est pilo tisanae seu ptisanae *in exitum* i. e in mortem seu mortis causa, non usque ad mortem, ut explicavit Oehler. Si quis lectionem codicis Fuldensis *in exemplum* praefert, ita intellegat: *in modum tisanae* aut *in poenam*; nam vox *exemplum* aliquando significat poenam; cfr. In Scap. 3 et Gell. n. Att. VII (VI) 14, 4: 'Poenitio propter exemplum necessaria est; . . . idcirco veteres quoque nostri exempla pro maximis gravissimisque poenis dicebant.' [3] De Anaxarchi morte cfr. Diog. Laërt. IX 10, 2, ubi dictum eius ita sonat: *Πτίσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δὲ οὐ πλήττεις.* [4] De hac meretrice inprimis agit Paus. I 23, 1. Cfr. Plin. nat. h. VII 23: 'Patientia corporis, ut est crebra sors calamitatium, innumera documenta peperit; clarissimum in feminis Leaenae meretricis, quae torta non indicavit Harmodium et Aristogitonem tyrannicidas.' Idem XXXIV 19, 12: Scortum haec lyrae cantu familiaris Harmodio et Aristogitoni consilia eorum de tyrannicidio usque in mortem excruciata a tyrannis non prodidit, quamobrem Athenienses, et honorem habere ei volentes nec tamen scortum celebrasse, animal nominis eius fecere atque, ut intellegeretur causa honoris, in opere linguam addi ab artifice vetuerunt. [5] Pro Dionysio tyranno Diogenes Laërtius (IX 5, 5) habet: *Νέαρχον τὸν τύραννον οἱ δὲ Διομέδοντα*, Valerius Maximus (III 3 ext. 2) Phalerium, Plutarchus (adv. Col. 32) Demylum; Tert. errasse videtur. Rem eandem narrat Cic., Tusc. II 22, 52.

disset: *contemptum mortis*, inpassibilis[a] flagellis tyranni obiectus sententiam suam ad mortem usque signabat. Certe Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata tantum honorem tolerantiae domui conferunt, quantum sanguinis fuderint[1].

10 O gloriam licitam, quia humanam, cui nec praesumptio perdita nec persuasio desperata reputatur in contemptu mortis et atrocitatis omnimodae[b], cui tantum pro patria, pro agro[c], pro imperio, pro amicitia pati[d] permissum est, quantum pro deo non licet! 11 Et tamen illis omnibus et statuas defunditis[e] et imagines inscribitis et titulos inciditis in aeternitatem. Quantum de monumentis potestis scilicet, praestatis et ipsi quodammodo mortuis resurrectionem. Hanc qui veram a deo sperat, si pro deo patiatur, insanus est.

12 Sed hoc agite, boni praesides[2], meliores multo apud populum, si illis christianos immolaveritis, cruciate, torquete, damnate, adterite nos; probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra. Ideo nos haec pati deus patitur. Nam et proxime ad lenonem damnando[f] christianam potius quam ad leonem, confessi estis, labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte reputari[3]. 13 Nec quicquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra; inlecebra est magis sectae. Plures[g] efficimur, quotiens metimur a vobis; semen est sanguis christianorum.

14 Multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus[4]; nec tamen tantos inveniunt verba

[a] *inpassibilem fieri λ.* [b] *omnimodo λ.* [c] ita *λ*, > cet. [d] > *λ.* [e] *decernitis λ.* [f] *damnandam λ.* [g] *etiam plures λ.*

[1] Ad mart. 4: 'Nam quod hodie apud Lacedaemonas solemnitas maxima est *διαμαστίγωσις*, id est flagellatio, non latet; in quo sacro ante aram nobiles quique adulescentes flagellis adfliguntur, adstantibus parentibus et propinquis et, ut perseverent, adhortantibus.' [2] supra c. 1 init. [3] Eadem de s. Agnete veteres tradiderunt; cfr. Ambros. de virginitate II 4. [4] Suidas s. v. *Καλλίνικος*.

discipulos, quantos christiani factis docendo. 15 Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis[1], magistra est. Quis enim non contemplatione eius concutitur ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non, ubi requisivit, accedit, ubi accessit, pati exoptat, ut totam dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? 16 Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est, quod ibidem sententiis vestris gratias agimus[2]. Ut est aemulatio divinae rei et humanae, cum damnamur a vobis, a deo absolvimur.

[1] Plin. ep. X 96 (97). De bapt. 13 Tert. martyrium *secundam intinctionem* et De bapt. 16 *baptismum sanguinis* vocat. [2] In Passione ss. Scilitanorum, sententia capitali de tabella recitata, martyres quasi uno ore profitentur: Deo gratias!

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BR63.F4FASC.6 C001
TERTULLIANI APOLOGETICI RECENSIO NOVA B
3 0311 00011 6553

BR 63 .F4 36276
AUTHOR Tettullianus, Quintus Septimus Florens,
TITLE fasc.6...Apologetici Rencesio Nova.
DATE DUE | BORROWER'S NAME

208 R248f v.6
STUDENTS' LIBRARY
BEFORE TAKING BOOK
from library: remove slip from this pocket: put your name and date on it and place it in the box provided for the same.
WHEN RETURNING BOOK
return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.
A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT.
Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best service possible from your library.

in der Theol. Revue vom 31. Jan. 1906, Sp. 52).

A la demande de Son Éminence le cardinal Fischer, M. Rauschen a entrepris la publication d'une chrestomathie patristique, qui à en juger par le cahier que nous avons sons les yeux (3), ne mérite que des éloges. Le choix est bon, bien que nous eussions peut-être hésité à y comprendre les Actes d'Apollonius. L'auteur est fort au courant de la littérature patristique, et il a emprunté aux meilleurs éditions les matériaux de son recueil. Les préfaces de M. R. sont fort claires et ses jugements modérés (Der Bollandist *H. Delehaye* in den Analecta Bollandiana vol. 24 [1905], 489).

Bonn. **Verlag von Peter Hanstein.**

In **P. Hansteins Verlag** in **Bonn** erschienen ferne

Arion, Ernste und heitere Lieder [illegible] Herausgegeben von Aug. [illegible]

Dyroff, Ad., Prof. Dr., Ueber das [illegible]

Englert, W. Th., Prof., Von der [illegible] von Aquin Summa Theologica p. 2 qu. 109—114 mit Kommentar. I. Teil: Das Textstudium der hl. Thoma wendigkeit der Gnade für die Erkenntnis. 1896. *M*

Esser, Gerh., Prof. Dr., Die Bussschriften Tertullians de und de pudicitia und das Indulgenzedikt des Papst Ein Beitrag zur Geschichte der Bussdisziplin. 1905.

Fechtrup, Prof., Der hl. Cyprian. Sein Leben und s I. Cyprians Leben. 1878. *M* 5,—.

Ficker, R., Weihbischof Dr. Herm. Jos. Schmitz. Das Wirken eines sozialen Bischofs. 1900. *M* 1,—.

Förstemann, E., Altdeutsches Namenbuch. I. Band Pers 2. vollständ. umgearb. Aufl. 1901. gr. 4°. 55 Mk. Eleg

Geyser, J., Das philosophische Gottesproblem in sein en Auffassungen. 1899. *M* 3,80.

— Grundlegung der empirischen Psychologie. 1902. *M*

Höhler, Dom. apitular, Roman eines Seminaristen. 1905. *M* 3,—

Kellner, Prof. Chronologiae Tertullianeae Supplementa.

Langenberg, Quellen und Forschungen zur Geschichte de Mystik. 1901. *M* 5,—.

Menden, Th., Über die Aufgabe des Gymnasiums gegen sozialen Irrungen der heutigen Zeit. 1906. *M* —,80.

Norrenberg, P., Dr., Die hl. Irmgardis von Süchteln. 182

Prill, Einführung in die hebräische Sprache. 2. Aufl. 19 geb. *M* 2,50.

Rauschen, G., Prof. Dr., Florilegium patristicum. Fasc. I: aevi apostolici. 1904. *M* 1,20, cart. *M* 1,40; fasc. II apologiae duae. 1904. *M* 1,50, cart. *M* 1,70; fasc. III: minora saeculi secundi. 1905. *M* 1,50, cart. *M* 1,70; fa tulliani liber de praescriptione haereticorum. 1906. *M* 1,20; fasc. V: Vincentii Lerinensis commonitoria. cart. *M* 1,40.

— Die wichtigeren neuen Funde aus dem Gebiete der ältes geschichte. 1905. *M* —,80.

Reden und Briefe der Apostel mit Einschluss der Apokaly scher Nachbildung und Erläuterung von Prof. Dr. E. *M* 3,—, geb. *M* 3,60.

Rissart, P., Das Grunddogma des Christentums verteidig Angriffe des Materialismus. 1895. *M* 1,50.

Rolfes, E., Des Aristoteles Buch über die Seele, übers Erläutert. 1901. *M* 5,—.

Schrörs, H., Die Bonner Universitätsaula und ihre Wa 1905. *M* 1,—.

Straubinger, H., Die Christologie des hl. Maximus. Conf *M* 2,50.

Urkunden und Regesten zur Geschichte der Rheinland vatikanischen Archiv. Hrsg. v. H. V. Sauerland. (1294—1352). 1902/5. *M* 46,50.

W9-DJJ-970